IN PLATONIS DIAlogum, qui Phædo, ſeu de animorum immortalitate inſcribitur,

SEBASTIANI FOXII MORZILLI Hiſpalenſis Commentarij.

Es de la libreria Comun de San fran.co

Acceſſit locuples rerum ac uerborum memorabilium INDEX.

No tiene que expurgar



Cum Cæſ. Maieſt. gratia & priuilegio ad decennium.

BASILEAE, PER IOANnem Oporinum.

SEBASTIANI FOXII MORZILLI HISPALENSIS IN SVOS IN PHAEDONEM Platonis Commentarios ad GONCALVM Peresium PHILIPPI Angliæ & Neapolis regis, Hispaniæq; Principis Secretarium, & consiliarium, PRAEFATIO.

IAM penè à Platonis, & Aristotelis, ac cæterorum philosophorum, in quibus diutius, quàm oportuit fortasse, uersatus sum, lectione cõquieueram, Goncale Peresi uir humanissime: cũ hos in Phædonem, seu de animorum immortalitate commentarios à me iam diu scriptos, ac ferè neglectos, amicorum studiosa publicæ utilitatis efflagitatio, ut in lucem ederem impulit. Suadebant enim illi, Platonis obscuritatem exemplo Peripateticorum aliquando illustrandam esse cuiusquam industria & labore, ne uir magnus à plerisq; nõ lectus negligeretur: atq; hunc librum, qui, ut est, unus sit ex Platonis difficillimis: post Timæi explanationem, quando semel incœpissemus, nostram operam desiderare: tum ea esse illa, quæ nimis accuratè à me olim scripta in eundem seposuissem, ut in publicum meritò possent proferri, cum præsertim aliquot iam Gallicè in eum scripti commentarioli edi cœpissent, exiguæ quidem & eruditionis, & commodi: cumq; ea quæ à Græcis dicerentur in illum ipsum scripta esse, nusquam extarent, nisi fortè apud aliquos βιβλοτάφους. Quibus profectò rationibus persuasus, non potui & rectis amicorum consilijs nõ parêre, & meam omnem in publicorum studiorũ utilitatem, ut iam instituissem, operã conferre. En igitur damus Platonis Phędonem, seu disputationem illam diuinam, quam Socrates fertur de animorũ immortalitate ante mortem habuisse. Cuius tãta est uis, atq; copia, ut Cleombrotũ Ambraciotam, quemadmodum Callimachi epigrãmate scriptum est, se in mare dedisse è muro præcipitem, auiditate mortis huius, quam idem Socrates laudet, dicatur: & Ca-

tonem Vticensem à Cæsare superatum ea nocte, qua sibi, ne in hostis uictoris manus ueniret, mortẽ intulit, eodem lecto, auidius ad ipsam mortẽ profectum esse. Ac certè mirum non est, homines doctos & ingeniosos tanta huius libri admiratione ductos, in mentem potuisse inducere, ut id quod optimum esse lectione hac didicissent, alacri, & deliberato animo appeterent, grauiori præsertim aliqua mentis incitatione cõmoti. Nam & ego sanè, dicam quod sæpè in me sum expertus, nescio quo modo affectus erga hunc ipsum librum, quædam ex eo identidem legi auidissimè, tanta cum admiratione, ut eadem crebrò lecta magis ac magis cupiditate noua recolere nõ intermiserim. Sentiebam enim quosdam in animo aculeos, ut fertur de Periclis oratione, ex hac lectione relictos mihi esse: quibus instigatus eadem sępe, quasi non antè lecta relegerem, & admirarer. Nec uerò sunt in hac parte audiendi ij, qui hunc librum Platonis, quòd sic in animos hominum influat, quodq́; olim quosdam ad mortem amplectendam auidos aliquantùm inuitarit, aut damnent, aut explodant: cùm unà etiam quæcunq; prudenter, docteq; scripta sint, reprehendere debuissent, quòd homines minus prudẽtes ad uitia sua & affectus ijs abutantur. Non enim Catonem magis hic liber, quàm dolor de Cęsaris uictoria atq; inuidia, ad mortẽ incitauit: nec Cleombrotum etiam aliud, quàm ignorantia & opinio falsa, de hoc libro nõ bene intellecto percepta, quod refert quoq; Callimachus, persuasit: nec omnino id est à quoquã sanæ mentis improbandũ, quòd unus aut alter sit eo abusus: cum multa, quæ bona suapte natura sunt, praua hominum cupiditas atq; affectio, ut uideantur mala, efficiat. Itaq; admirari potius in hoc libro non solum eloquentiam, dicendiq́; uim, quæ quidem summa in Platone, atq; admirabilis est, sed etiam acumen ac subtilitatem oportet: præcipuè cum de re planè necessaria, multisq́; abhinc seculis cõtrouersa, id est, de animorum immortalitate, nullum philosophorum antiquorum præstantius scriptum habeamus. Cum enim primus omnium Pherecydes Syrus æternitatem animi induxisse dicatur, eamq́; paulo post ipsum Pythago-

Pythagoras eius discipulus confirmasse: Plato demum, ratione addita; illam ipsam omnium maximè tueri conatus est: ut ex eius cùm alijs libris, tum hoc ipso perspicuum est. A' quo uno non modò Cicero primam illam excellentissimam de mortis contemptu disputationem Tusculanam est mutuatus, sed alij quoq; pleriq;, quicunq; ea de re bene quid scripserunt. Et cum Christianæ religionis fundamentum sit animorum immortalitatis assertio, ut legum etiam omnium, atq; adeò rerumpublicarum: nulla quidem alia firmiora maiores nostri, qui primam Ecclesiam defenderunt, arma, quibus uterentur, contra impiorum hominum uim habuere, quàm disputationem hãc Platonis: quæ & idem, quod se, philosophos antiquos hac de re censuisse, docerent, ne nouas ipsi opiniones primi induxisse uiderentur, & argumenta ueluti tela sumerent ad furiosos eorundem impetus cohibẽdos. Hinc enim illi, Tertullianus, Origenes, Eusebius, Lactantius, ac pleriq; alij antiquorum patrum, qui nostræ religionis decreta propugnarunt, argumenta omnia, uel eadem, ut erant à Platone adducta, uel paulùm immutata deprompserunt: hinc contra Stoicos & Epicureos Platonici (nã ijsdẽ se Peripatetici, licet clam, & quasi subdola amicitia, coniungunt) armati prodiere. Hinc demum omnes, quicunq; uel ante horum ętatem, uel postea extitere, rationes, si non ipsas, similes tamen ijs accepere. Et quidem res ita habet, ut pleraq; de animorum immortalitate à quibusq; accuratè ac subtiliter dicta mihi ex hoc libro Platonis apertè desumpta, aut aliquantulũ commutata uideantur. Quòd si ergo tam aptè in hoc libro quæstionem longè difficilimam cõtineri, explicariq; uidemus, quid est, cur illũ reijciamus, aut contemnamus etiam? cum nulla alia, quibus aduersum eos muniamur, qui religionis nostræ autoritatem argumentis oppugnant, arma habeamus. Quid enim, si nullis argumentis stabilita esset humanæ mentis immortalitas, aut eã quis pro libito posset contra simplices homines, solaq; autoritate persuasos labefactare? subuerteretur certè religio omnis: notiones de Dei prouidẽtia, non opinione, sed natura ipsa conceptæ obscu-

rarētur, leges & iura ciuitatum contemnerentur, esset denique cunctis sceleribus patefacta uia, ut nihil praui homines, data occasione, non sibi licere arbitrarentur, si omnium finem unà cũ corporis interitu esse intelligerent. Quęre ab Epicureo aliquo, aut alio quouis, Dei prouidentiam & animorum immortalitatem (duo enim hæc finitima sunt) negante, quid'nam in hac uita sibi, uel alijs agendum putet? dicet profectò nihil esse aut pręmij, aut supplicij à Deo, qui humana negligat, ex hac uita migrantibus expectandũ. hic fœlicitatem, quã pariat uoluptas: aut miseriam, quam dolor, inueniri; non alibi, cùm animus amplius non extet: tum uoluptatibus atq; delicijs indulgendum duntaxat, nullo mœrore premendum: animum efficiendum ut, opes, ocium, iucunditas suppetat abundè, ut nihil quoquo modo partum desit ad uoluptate se hominẽ explendum: religionem negligendam, ne metu mens concutiatur: desęrendam in periculis patriam, ne in eadem incidat ipse: legum obseruationem, ac ciuium societatem, officiaq; omnia communis uitæ, commoditate, iucunditateq; propria metienda. Qua quidem persuasione quid absurdius, quid magis impium, ac perniciosius non modò singulis, sed uniuersæ quoq; reipublicæ? Prodeat contrà quis è familia Stoicorum, qui cum animos aliquando interire cum corporibus simul dicat, ac nulla esse præmia aut supplicia mortuis putet proposita, sed beatitudinem in uacuitate doloris atque animi affectionum esse: dicet etiam ad se nihil eorum pertinere, quę fiant in repub. ab alijs: nihil esse suum præter illa quæ sua sint in potestate, non corpus, non opes, non amicos, non filios, non uxorem, non aliud huiusmodi quicquam: tantùm in eo elaborandum, ut mens tranquilla sit, & pacata, ne metu religionis, aut legum, calamitatis, bonorum'ue iactura, orbitate propinquorum, ne demum rei alicuius dolore perturbetur. Quæ etiam si homines sibi persuadeant, quorsùm remp. habemus? quorsum societatem humanæ uitę tuemur? quorsum Deum colimus, aut aliud omnino agimus, quod ratio uirtutis poscat? En quid efficiat falsa de interitu animorum persuasio, uti homines fœlicitate

licitate quæsita ubi minimè sit, ad commoditates, uolupta tesq; proprias omnia referant: quo nihil perniciosius, aut pestilentius esse potest. Ab his ergo erroribus, alijsq; huiusmodi nos hic Platonis liber dehortatur, cum immortalitate animorum defensa, et pœnis præmijsq; eorundē propositis, nec fœlicitatem in terris quærendam docet: & metu religionis iniecto, à uitijs prauisq; affectibus homines auocat. Quæ cum ita sint, quis hunc librum, si sanus sit, improbare, aut cōtemnere audeat: ac potius illum, ut par est, non magnifaciat? ob id saltem, quòd nos ab errore liberat, cæcitateq; mentis, ab ignoratione rerum multarum, à metu mortis, qui nobis perpetuò imminet, à desperatione uitæ melioris: et ad uirtutē excitat, atq; in ea cōfirmat? Hunc igitur librū tam pulchrū & excellentem, à me commentarijs illustratū, Gōcale Peresi, tibi dicamus: quòd te, ut in hoc gradu dignitatis & gratię uirtus, doctrina, industriaq; tua collocauit, ita deceat huiusmodi quoq; ad uirtutū tractationē necessaria de immortalitate animi disputatio. Accedit etiā singularis eloquentia, quā uersus à te Homerus in nostram linguā aptissimè prędicat: & erga omnes doctos studium: quę sola uel planè ignotos homines maximè tibi possint deuincire: tū prudentia et consiliū, quo uteris apud egregiū et excellentē Principē, dignū immortalitate omni. Quæ cum in te cūcti ęquè laudēt, profectò sic illi te Principi optamus, ut illū ipsum nobis, atq; uniuersæ Christianæ reip. Magna enim est nō modò principis laus, gloriaq;, sed etiā reip. utilitas, ei esse adiunctū aliquē ueluti Nestorē, cuius cōsilijs cuncta gerat atq; administret. Sed nolo, quod de te ipse sentiā, prolixius efferre (maius enim est, quā dici facilè possit) ne in adulationis beneuolæ uitiū incurrere ijs uidear, quibus ignota merita tua sint. Satis ergo sit, me de te ita sentire, ut de optimo, integerrimo, docto, prudēti, ac modis omnibus exaggerato uiro, hominem Philosophiæ, hoc est, ueritatis amatorē sentire oporteat, ac deceat. Reliquum est, ut hos nostros cōmentarios, qui tuo se iudicio, patrocinioq; commēdant, beneuolo animo accipias, & humanitate tua erga me solita foueas. Sic enim sat magnū labores & lucubrationes meę fructū perceperint. Vale.

ARGVMENTVM IN PLATONIS Phædonem.

PHAEDO, ut est autor Diogenes Laertius, atq; Athenæus, seruili conditione fuit, licet nobili ex familia ortus: idē enim, patria occupata, captus, intraq; cellulam turpißimo se quæstui addicere coactus, tandem à Critone, siue Alcibiade, ut alij uolunt, redemptus, in Socratis se disciplinam contulit: quo præceptore etiā antea fuerat usus. Hic, ut erat eidē Socrati familiaris, & amicitia coniunctus, disputationi huic eius extremæ ante mortem habitæ interfuisse à Platone fingitur. Cum enim is Socratem semper, suppresso suo nomine, nisi hoc in Dialogo tantum, disputantem inducat, eos ipsi discipulos atq; socios adiungit, quorum ille colloquio sæpißimè fuisset usus: id quod cùm alijs in locis, tum in hoc Dialogo apertius facit, dum eundem Phædonē, qui Socratis morituri de animorum immortalitate disputationem hanc audijsset, narrare eam fingit, amico cuidam Echecrati, auidè de illa sciscitanti. Itaq; occasio disputationis in hoc Dialogo habitæ, à narratione Phædonis facta Echecrati sumitur: qui ea commemorans, quæ Socrates disseruisset, simul omnem disputationem ex eius ore auditam contexit. Est autem huius Dialogi institutum, tueri immortalitatē animorum: ad quam tamen confirmandam, à morte Socratis sumitur occasio. Cùm enim ei iam morituro discipuli ac familiares adessent, tristesq; ob eius mortem esse uiderentur, idem constanti, pacatoq; animo illos consolatus, docet non esse cur ob eius mortem doleant, quæ mors minime sit: quando animus mortis expers, ab illis uitæ corporeæ uinculis liberari malit. Quapropter & mortis malum extenuans, philosophum inquit in eo uerè esse philosophum, quòd in ipso corpore uelit mori, hoc est, liberari ab omni terrenæ concretionis contagione. Ideo mihi uniuersa Dialogi huius sententia, huiusmodi ratione concludi posse uidetur, ut in pauca rem conferam. Consolari me charißimi atq; amantißimi uiri uultis, quòd capitis supplicio damner, tanquam ob aliquod incomodum. Id autem philosophi nō est (cuius munus ipsi profitemini) cum philosophus uerus meditari mortem seu se à corporis uinculo extricare maximè debeat: quia nulla res nos puriores, id est, animum nostrum, qui uerè homo est, efficiat, quàm huiusmodi segregatio, & à corpore animi solutio. Ac multo quidem magis cogitare id, ac de morte mea nō esse soliciti debetis, quòd humanus animus sit immortalis, ac præmijs uel supplicio aliquo post hanc uitam sit à Deo afficiendus pro factis. Quod ego cernens animo, ac meis factis quodammodo fretus, libenter mortem subeo: ac uos uti philosophos oro, moneoq;, ut de me dolere ac tristari desinatis. Hæc est paucis comprehensa totius Dialogi summa: quā breuiter ob oculos posui, ut eiusdem institutum intelligeretur. Loci autem communes in eodem potißimùm tractati, hi sunt: de philosophi ueri officio, de uera philosophia, de morte suscipienda sponte, de cōtemplatione, seu purgatione animorum, de immortalitate eorundem, deq; præmijs ac supplicijs post hanc uitam statutis. His alij non pauci interseruntur, quos ipsi obiter suo loco explicabimus. Interim satis sit admonuisse hæc quàm breuißimè. Ipse autem Dialogus in demonstratiuo genere uersatur, quia ex narratione quadam perpetua Socraticæ disputationis à Phædone facta constat. Idem ad eam philosophiæ partem, quæ in moribus

uersa-

uersatur, à Diogene Laertio refertur, sicut et Apologia, & Crito, qui eiusdem ferè argumenti sunt. Sed mihi certè partim ad Ethicen, partim ad Physicen spectare uidetur. Ad Ethicen quidem eò, quòd ad uirtutem, constantiam, mortis contemptum, purgationem animi, aliaq; huius generis Socrates discipulos suos hortetur: ad Physicen uerò, quòd disputationem de animorum immortalitate ineat, quam nos additis probatissimorum ea de re autorum argumentis efficacissimis longè pleniorem fecimus. Totum autem opus, quia est à Platone perpetua quadam oratione conscriptum, à me, ut distinctius esset, quatuor in partes distributum est. Quarum quidem prima historiam omnem Socraticæ mortis à Phædone narratam continet: secunda philosophiæ uim, ac philosophi ueri officium, purgationisq; animorum formam ostendit: tertia uniuersam de animorum immortalitate disputationem complectitur: quarta supplicia, præmiaq; ex hac uita discedentibus proponit, & ad constantiam, integritatem, atq; adeò uirtutem omnem hortatur. Itaq; prima uelut exordium, & occasio disputationis est: secunda tanquam ingressus quidam ad disputationem: tertia firmamentum causæ, & statum, ut oratorum more loquar, continet: ultima perorationem cum admonitione, exhortationeq; ad uirtutem, coniuncta. Uerùm hac de re satis hoc loco, ne modum argumenti prætereamus.

PLATONIS PHAEDO, SEV DE ANIMORVM IMMORTALITATE.

Ipse'ne, ô Phædo, affuisti, qua die Socrates uenenũ bibit in carcere? an ab alio audiuisti? PHAE. Equidem, ô Echecrates, affui. ECHEC. Quæ'nam sunt ea, quæ uir ille antequam moreretur, loquutus est? Et quomodo è uita discessit? Libenter enim audirem. Nam neq; quisquam Phliasiorum ciuium frequẽter proficiscitur nunc Athenas: neq; iam diu hospes aliquis inde ad nos accessit, qui certum aliquid ea de re nunciare nobis posset, nisi illũ potato ueneno è uita migrasse. De cæteris uerò nihil, quod referrẽt, habebant. PHAE. Nec ergo quæ ad iudicium pertinebant, quo pacto tractata fuerint audiuistis? ECHEC. Audiuimus. hæc enim nobis quidã retulit. Et admirati profectò sumus, quod iam peracto iudicio, diu postea obijsse uideatur. Quid'nam in causa fuit, ô Phædo? PHAE. Sorte quadam id Socrati, ô Echecrates, accidit. Nam pridie quàm iudicaretur, ornari cõtigit puppim nauis eius, quam mittunt Athenienses in Delum. ECHEC. Id uerò quid'nam sibi uult? PHAE. Hæc est illa nauis, ut aiunt Athenienses, in qua Theseus olim bis septem illos secum tulit in Cretam, seruauitq; illos, & ille seruatus est. Vouerat autem, ut fertur, Apollini, si seruarentur, quotannis in Delum spectaculum quoddam mittere. Quod quidẽ nunc etiam ac semper ex illo tẽpore singulis ad Deum mittunt annis. Cum igitur spectaculi principiũ agitur, ex lege interim lustrant urbem, neminemq; eo tempore publicè necant, donec Delum perueniat nauis, rursusq; Athenas reuertatur ex Delo. Id uerò nonnunquam longo peragitur tempore, quando eos occupant uenti. Initium uerò spectaculi est, postquam Apollinis sacerdos nauis illius coronauerit puppim. Id uerò, ut modò dicebam, pridie quàm iudicaretur, factum erat. Quamobrem longum tempus Socrates, fuit in carcere, iudicium inter atq; mortem. ECHEC. Circa uerò mortem ipsam, ô Phędo, quę'nam sunt ab eo dicta, quę facta, qui'ue familiarium aderant? An forte magistratus adesse non permittebant? atq; ita orbatus decessit amicis? PHAE. Permittebant quidem. Ideòque aderant aliqui, & quidem multi. ECHEC. Hæc igitur omnia, para te quàm planissimè nobis referre, nisi quid negocij te impediat. PHAE. Ociosus quidem sum, atq; enarrare uobis conabor. Quippe cum meminisse Socratis, siue ipse loquar, siue loquentes alios audiam, mihi semper omniũ sit dulcissimum. ECHEC. Similiter ô Phædo, hos qui te audituri sunt, affectos habebis. Sed iã pro uiribus diligentissimè refer omnia. PHAE. Atqui mira quadam ratione, ô Echecrates, illic præsens affectus erã. Neq; enim misericordia me habebat, ut familiarissimi uiri morti præsentem. Sanè beatus uir ille mihi, ô Echecrates, uidebatur, tum animi illius habitum, tum orationem consideranti: adeò intrepide generoseq; migrabat è uita, ut uideretur mihi, illum in uitam alteram, non absq; diuina sorte migrare, sed illic quoq; beatum fore, si quis unquam alter. Quamobrem neq; admodum cõmouebar, ut consentaneum uideretur, hominem rei pręsentem lugubri commoueri: neque rursus afficiebar lætitia, quemadmodum solebamus aliàs quum in philosophia uersabamur. Nã sermones quidem eiusmodi erant: sed reuera affectus quidã mirus, atq; insolita uoluptatis dolorisq; permixtio me inuaserat, considerantem illi paulo

paulo pôst moriẽdum fore. Et quicunque aderamus, fermè similiter eramus affecti, aliàs quidem ridentes, aliàs uerò lachrymantes. Vnus autem præ cæteris Apollodorus: nosti enim uirum, eiusq; morem. ECH. Quid ni? PHAE. Ille igitur ita prorsus erat affectus: atq; ego ipse, aliiq; omnes, distractum similiter perturbatione animũ habebamus. ECHE. Sed qui'nam fortè aderant, ô Phædo? PHAE. Ciues quidem & indigenæ aderant, ipse Apollodorus, & Critobulus, paterq; eius Crito: rursus Hermogenes, Epigenes, Aeschines, Antisthenes. Aderat & Ctesippus Pæaneus, & Menexenus, atq; alij quidam indigenę. Plato autem, ut arbitror, ægrotabat. ECHE. Sed num aliqui aderãt peregrini? PHAE. Aderant et peregrini, Simmias Thebanus, et Cebes, & Phędondes: Megarenses uerò, Euclides, & Terpsion. ECHE. Aristippus autẽ & Cleombrotus nunquid aderãt? PHAE. Non. in Aegina enim dicebantur esse. ECHE. Aderant'ne insuper alij? PHAE. Hos fermè, quos narraui, interfuisse existimo. ECHE. Dic uerò, quales fuerunt sermones? PHAE. Conabor equidem â principio tibi omnia enarrare. Solebamus quotidie diebus superioribus ad Socratem proficisci, ego atq; alij, conuenientes manè in illa curia, in qua & iudicium factum fuerat. carceri enim erat proxima. Colloquentes igitur inter nos, operiebamur semper illic, quoad carcer aperiretur. Aperiebatur enim haud admodum manè. Eo autem aperto, ingrediebamur ad Socratem, & ad plurimum diem cum ipso cõfabulabamur. Tunc ergo prius solito conuenimus. Pridie namq; eius diei quum è carcere egressi essemus, uespere nauem ex Delo audiuimus rediisse. Itaq; ediximus inuicem, summo mane nobis fore ad locum solitum redeundum. Cum uerò reuersi essemus, exiens nobis obuius ianitor, qui nos solebat admittere, expectare iussit: nec prius ingredi, quàm ab ipso accerseremur. Soluunt enim, inquit, Vndecimuiri Socratem, illiq; denunciant, hodie mortem esse obeundã. Neq; deinde admodum commoratus, rediit ad nos, iussitq; intrare. Itaq; introeuntes, Socratem quidẽ inuenimus compedibus paulo antè solutum: Xanthippen uerò (nosti mulierem) iuxtà sedentem, puerumq; eius manibus tenentem. quæ nos quum uidisset, eiulare cœpit, & qualia mulieres solẽt exclamare: O Socrates, inquit, nunquam amplius affabuntur te tui familiares, nec tu illos. At Socrates Critonem intuitus: O Crito, inquit, deducat quis hanc domum. Et illam quidem reduxerunt quidam Critonis domestici, uociferantem atque plangentem. Socrates autem sedens in lectica, contraxit ad se crus, manu'que perfricuit, atque inter fricandum sic inquit:

SEBASTIANI FOXII MORZILLI HISPALENSIS in I. Phædonis Platonici partem Commentarij.

Dialogi huius exordium ab Echecratis interrogatione sumitur. Is enim à Phædone rogat, ut indicet, adfuerit'ne ipse Socratis morti, & quo sit ille tẽpore extinctus: tum quid ex eodem ante mortem audierit. Cui respondens Phædo, se in primis illi morienti adfuisse ait: deinde mortis eius diem indicat: postremò, ab eiusdem Socratis constantia in morte illum reddens attentum, quid is tunc eloquutus fuerit, narrat.

In hoc exordio, quod ad mortis Socraticæ tempus attinet, obiter Atheniensium antiquam consuetudinem Phædo refert, in hominibus capitis reis puniendis seruatam: deinde, quod ad sermonẽ attinet, eo die à Socrate habitum, amicos, ac discipulos eius, qui tunc adfuerũt, recenset. Principio igitur morẽ Atheniensiũ fuisse, inquit, ut singulis annis quædã nauis ad insulam Delum mitteretur, quò ibi Apollini, nomine totius reip. sacra fierent. Quo tempore nullum capite puni-

ri solere inquit, eo quòd ciuitas lustraretur. Itaque peracto eo festo, cum iam nauis redijsset, indictum esse mortis diem Socrati dicit: tuncq; se ipsum interfuisse, unà cum alijs. Festum hoc à Phædone commemoratum, Theseus instituisse refertur à Plutarcho, in illius uita: quòd in ea ille naui Athenis in Cretam uectus, ut Minotauro offerretur, incolumis unà cum socijs redierat. Idem autem festum ὠχοφοριῶν ἑορτὴ appellabatur, id est, ramorum. Nauim quoq; illam usque ad Demetrij Phalerei ætatem durasse, Plutarchus idem scribit, & ex tabulis nouis semper refici solitam fuisse: ideoq; multos philosophos, ignorata re, dubitasse, eadem'ne nauis esset, an alia. Eiusdem etiam meminit idem Plutarchus in lib. Num seni gerenda resp. sit. Atqui hæc paucis, de antiquißimo Atheniensium more, à Phædone hic commemorato. Post huius ergo nauis reditum, Socratem fuisse extinctum, & Phædo hîc ait, & Plato in Critone, sub Socratis persona, de reditu nauis Critonem ipsum rogantis. Fuit autem tempus illud, quo est morte Socrates mulctatus, ut refert Diogenes Laertius, 905 Olympiadis anno, circa Furij Camilli tempora: anno uerò ab Vrbe cõdita 347, ut Gellius lib. 17. cap. 21. testatur. Ipse uerò Socrates 71 ætatis suæ anno extinctus est, ut & Seneca episto. 71. ad Lucilium, & in Apologia Plato inquiunt. Porrò qui sint philosophi illi, qui morienti ei adfuerint, Phædo ipse commemorat: ne opus sit, eos à me denuò recenseri. Obiter animaduerte hîc, quo artificio Plato Socratis constantiam ostẽdat, in releganda uxore Xanthippe, quæ muliebri gemitu mortem mariti deplorabat: cum ipse nec eius lachrymis, nec filiorum solitudine atque orbitate cõmotus, mortem uereretur, quam in Apologia se potius optare summis uotis fatetur. Atqui hæc ferè præcipuè in tota hac prima parte continentur: ne minutula quæque & aperta consecter, quæ nulla egent explicatione.

PHAEDONIS PLAtonici pars secunda.

Quàm mira uidetur, ô uiri, hæc res esse, quã nominant homines uoluptatem: quamq; miro naturaliter se habet modò ad dolorem ipsum, qui eius contrarius esse uidet: quippe cum simul homini adesse nolint. Attamẽ si quis prosequitur, capitq; alterum, semper fermè alterũ quoq; accipere cogitur, quasi ex eodẽ uertice sint ambo connexa. Arbitror equidem Aesopum, si hæc animaduertisset, fabulã fuisse facturum: uidelicet Deum ipsum, cum ipsa inter se pugnantia uellet conciliare, neq; id facere posset, in unum saltem eorum apices cõiunxisse: proptereaq; cuicunq; adest alterum, eidem mox alterum quoq; adesse. quod quidem mihi accidit in præsentia. Siquidem modò crus propter uincula afficiebatur dolore, sed huic succedere uoluptas iam uidetur. Ad hæc Cebes: Per Iouẽ, inquit, ô Socrates, opportunè id mihi in memoriam reuocasti. Cum enim poemata composueris, sermones intendens Aesopi scripto in Apollinem proœmio, tum alij multi me interrogauerunt, tum Euenus paulo antè, quónam consilio, postquàm in carcerẽ deuenisti, ea feceris, quæ prius feceras nunq;. Si igitur tibi curæ est, ut habeã quid respondeam Eueno, quãdo iterum ex me quæsierit, quod certò scio facturum: dic quæso, quid ei sit respondendũ. Vera, inquit, ô Cebes, responde: me id effecisse, nõ ut uel ipsi gratificarer, uel cum ipsius carminibus decertarem (sciebã enim facile id non esse) uerùm ut insomnia quędam experirer, me simul expians, num fortè hæc sit ea musica, quam sæpius iã exercere me iubent. Nam frequenter superiori tempore insomnium idẽ, licet alia atq; alia forma sese mihi offerens, eadẽ semper ita pręcepit: Fac ô Socrates, musicã, atq; exerce. Ego igitur quod in superiori tempore faciebam, hoc mihi præceptum arbitrabar: & quemadmodum currentes adhortari solemus, sic quod ipse antea faciebam, ad idem me insomnium cohortari putabam, quasi Philosophia maxima musica foret. Postquam uerò facto iam de me iudicio, mori me interim Dei festiuitas inhiberet, censui oportere, si fortè insomnium toties iubeat popularem hanc musicã exercere, non negligere eius pręceptum.

Tutius

Tutius enim fore arbitratus sum, antequam è uita migrarem, expiare animum, atque ut monet insomniũ, poemata facere. Quamobrẽ primò equidẽ cecini Deum ipsum, cuius tunc sacra celebrabãtur: atque post Deum iudicans oportere eum qui poeta futurus sit, non sermones, sed fabulas facere, me uerò non esse fabulatorem: nonnullas ex fabulis Aesopi, quas sciebam, magisque in promptu habebam, ut in quamque prius incidi, modulatus sum.

SEBASTIANI FOXII Morzilli Hispalensis in II. Phædonis partem Commentarij.

Hic Socrates animo intrepido, nõ solùm nullo mortis metu terretur, sed ipse etiam amicos præsentes consolatur: sumpto exordio à delectatione, quam ex eorũ conspectu cœperat. Nam cum antea dolore se cruris affectum, quem ex onere uinculorum contraxerat, diceret: eundem dolorem illorum præsentia mutatum in uoluptatem, iam inquit. Hinc facta doloris & uoluptatis mentione, mutuam horum affectuum consecutionem significat: tum se mirari Aesopum ait, quòd cum de rebus ferè omnibus fabulas ad instituendam hominum uitam finxerit, nullam de uoluptate ac dolore fecerit. Hac ipsa de re à Cebete rogatus Socrates, fabulas quasdam eiusdem Aesopi ait carmine se reddidisse, dum in carcere esset, quòd eius rei à Dæmone suo esset admonitus. Hæc, ut nos explicatiùs doceamus, primùm quomodo uoluptas ac dolor se semper consequantur, uideamus: deinde, quo in honore fabulæ Aesopi habitæ sint: aut quos uersus, aut qua de causa illos in carcere Socrates cõdiderit: deinceps, quod nam sit eius Dæmonium, aut quale, aut quo pacto futura in somnis prædiceret: postremò, quæ sit musica ista, quam ipsi Dæmonium commendarit.

Dolor, ac uoluptas, ut in Timæo, atque locis alijs Plato docet, animi affectuum omnium capita sunt. Cum enim animus ipse afficitur præter rationem (hoc siquidem affectus est) uel boni alicuius præsentia aut spe ducitur, uel malo aliquo commouetur. Quotiescunque boni aliqua species animũ trahit, uoluptas is motus appellatur: quoties uerò aliquid mali eum perturbat, tristitia, seu dolor. Cum ergò duo hæc genera affectionũ qualitates contrariæ sint, & in idem cadant subiectum, id est, hominem, siue animal aliud quodcunque: necesse quidem est, modò unum, modò alterum aduenire: ueluti si bonum absit, accidere malum sequitur, & uice uersa. Ideo cum animus humanus, qui corporis motus natura sua sequitur, nunc uno, nunc altero affectu concitetur: atque omnes ijdem affectus ad duo illa genera, uoluptatem ac dolorem, referantur: fit, ut præsente uoluptate, dolor tollatur: aut illa rursus, hoc ipso præsente. Experimento etiam comperimus, magnam uoluptatem dolores graues non semel consequi, & contrà dolorem uoluptates quoque. Itaque homo, ut qualitatum contrariarũ capax, necessariò penè aut dolore aut uoluptate affici debet, quandiu rationi non paret, quæ turbidos hos motus componat. Hæc est igitur illa doloris & uoluptatis consecutio, de qua Socrates breuiter. Ad secundum ueniamus. Tanta fuit apud antiquos philosophos Aesopi dignitas, ut uniuersam morum philosophiam ab eo in ijs fabulis comprehensam elegantissimè dicant, ut ex Socratis hoc testimonio patet: qui se à Dæmone admonitum, dum uinculis teneretur, eius aliquot fabulas carmine ait scripsisse, quòd morituro fortasse tanquam meditatio quædam mortis, perutiles uiderentur. Sed uera causa, & consilium, ut ipse postea Socrates ait, uertendi eas fabulas, fuit, quòd carmẽ à Deo scribere iussus, easdem uincire pedibus maluit, quàm alias ipse fabulas fingere, id quòd Philosopho indignum uideretur: qui cum ueri sit indagator, non modò falsa, sed etiam fabulosa debeat uitare, ac poetis, quorum est id proprium, relinquere. Porrò uersuum à Socrate factorum Diogenes Laertius fuisse initiũ hoc, in illius uita refert:

Αἴσωπος ποτ' ἔλεξε, κορίνθιον ἄσυ νέμουσι,
μὴ κρίνειν ἀρετὴν λαοδίκῳ σοφίῃ.

Initium quoque pæanis, in Apollinis laudem eo tempore compositi ab eodem ipso, fuisse hoc inquit: Δῆλι' Ἄπολλον χαῖρε, καὶ Ἄρτεμι, παῖδε κλεινώ. Restat id, quod postremo loco posuimus, explicandum. Socratem Dæmonij cuiusdam esse opera usum, qui res illi futuras prædiceret, Plato in hoc loco, in Theage, Phædro, atque locis alijs testatur. Quid uerò sit Dæmon, ille præsertim, & qualis eius natura, principio paulo altiùs ducto, uideamus. Quatuor animalium genera post bonum ipsum, & ens, siue Deum, Iamblichus in lib. de Mysterijs Aegyptiorum, Platonicique alij statuunt, Platonis de Timæo sententiã sequuti: nimirum cœlestes deos, qui in cœlo sint, quique Angeli ab ijs quoque uocantur: Dæmones, illis inferiores: Heroas: humanas animas. Itaque inter deos cœlestes, & humanos animos,

tanquam medios interijciunt Dæmonas & Heroas: quorum illi cœlestibus minores sint, sed maiores Heroibus: hi uerò Dæmonibus inferiores, sed animis hominum superiores. Horum quatuor animalium (nam Deum summum semper excipiunt) intelligibilem esse dicunt naturam: etsi ex ijs alia maiori materiæ cõcretione constent, quàm alia, quò magis terris accedant: itemq; munera, et uires diuersas. Quæ nos, ne longi simus, prætermittentes, de Dæmonibus pauca disseramus. Hi ergò, ut Proclus in lib. de Anima & dæmone, Psellus in libello ea de re, alijq; Platonici uolunt, curam hanc solùm habent, quòd inferioribus rebus, & proximè sibi adiunctis præsunt, illasq; pro ipsorum natura disponunt, & ad cœlestes deos uelut internuncij, res humanas perferunt, aut inde ad homines deducunt cœlestia. Eorundem præterea alij boni esse dicuntur, quòd res sibi subiectas bene gerant: alij mali, quòd malè. Deniq; ipsorum quinq; genera numerantur, quorũ diuersa sunt officia: ut alij animas à Deo mundi opifice deducant: alij eas corporibus copulent: alij demum uariè forment: quod in Timæo etiam de animi ortu Plato refert. Cum itaq; à Platonicis Dæmones tales esse dicãtur, alia itidem ratione humanus animus Dæmon appellatur, quatenus corpori præest. Quemadmodum enim Dæmones ijdem uaria obeunt munera in rebus inferioribus: sic etiam anima rationabilis, corpus, siue animal ipsum regit, eiusq; actiones administrat. Quatenus enim anima ipsa corporeis uoluptatibus imperat, bonus Dæmõ appellatur: qua in significatione Plato in Timæo, recta inquit animi institutione familiarem nobis Dæmonẽ quàm ornatissimũ seruari. Idem declarat Plotinus in lib. de Dæmone proprio, ipsumq; hunc Dæmonẽ familiarẽ ab anima, non re, sed ratione distinguit, quatenus scilicet anima corpori præest. Quibus propositis, eodem planè modo Socraticum Dæmonem (ut Proclus in Alcibiadem Platonis, & Plutarchus, atq; Apuleius de Socratis Dæmonio referunt) nihil esse aliud putãdum est, quàm præclaram eiusdem animi uim, qua prudenter cuncta faciebat, peruidebat, & quasi consilio longe antè cognoscebat. Hæc à rebus malis illum reuocabat, ut in Theage de se ipse fatetur: quia idem prudentia quid mali quaq; in re esset, perspiceret, ideoq; ab ijsdem abstineret. contra Dæmon ille ipsum non inuitabat ad bona, quoniam per se satis spontè sua ad uirtutẽ ferretur. Quod ipsum de Pythagora Iamblichus refert, dicens, nos ipsos Fortunæ aut dæmonis loco esse, atq; nostra in potestate poni, ut fœlices, bonòque Dæmone præditi efficiamur. Atqui huiusmodi quidem fuisse Socratis dæmonium, non modò Plato putasse uidetur, sed etiam Platonici omnes, qui ea de re scripserunt. At uerò Lactantius Firmianus, contaminatũ quendam spiritum, ex ijs quos cacodæmonas uocamus nos, eum Socratis fuisse dæmonẽ inquit: in eademq; sententia Augustinus, multiq; alij sunt, qui contra gentes olim scripsere. Sed tamen cur Dæmon Socrati Musicam exercendam præcipit: aut quæ nam musica isthæc est? Magnam esse Musicæ uim in mouendis hominum animis, experimento docemur. nemo enim adeò hebes est, quin ad Musicæ concentum moueatur.

Qua de causa Theologi antiqui, ut Macrobius auctor est, lib. 2. in somn. Scip. Musicam sacris adhibebant, quòd ea humanos animos concitaret, & ad diuinã cõtemplationẽ erigeret: itẽq; Plato in libris de Rep. quasdã Sirenas mirabilem concentum in cœlo edentes ponit, à quibus concentuum omnium ratio ad nos perueniat. Ergo cum tanta Musicæ præstantia sit, ut affectos animos purget, depressos excitet, tristes alleuet, omnibus deniq; affectibus aut conturbet, aut nudet: ita Plato multis in locis ad animum excitandum adhiberi Musicam iubet. ut in Timæo, cum de hominis exercitatione loquitur: & in eodem libro, de uoce disserens, cum harmoniã inquit animæ nostræ motiones seruare, eamq; nobis à Musis esse concessam, ut intemperantis animi motus moderemur: siquidem animus suarũ uirium permagnum habet concentum, ut in eius generatione ex harmonicis numeris facta Plato innuit. Ideo seruari animi concentum, idem est, atq; tranquillum eius statũ retineri, ne pars aliqua nimium iactetur: sed ratio imperet, sensus pareant, affectus quiescant, uires deniq; omnes officijs suis fungantur. Talẽ harmoniam lib. 3. de Rep. Socrates esse tenendam iubet, quòd eadem interiorem animi partem penetret, & à corporea contagione seiungat, decoremq; in eo quendam pariat. Quin etiam Plotinus in lib. De triplici ascensu animi ad mundum intelligibilem, Musicæ concẽtu animos à corporibus segregari, & in diuinorum contemplationem erigi dicit. Qua quidem ex re patet, Musicam istam, quam Socrates iussu Dæmonis amplectitur, esse concinnam quandam & aptam animi elationem, solutionemq; à corpore: quam propterea Plato atq; Socrates hoc loco uolunt seruari, quòd animi natura eiusmodi segregatione purgetur, mores formentur, summaq; in rebus aduersis constantia gignatur, qualem in Socrate

nunc

nunc morituro cernimus: qui se ita composuit, ut morte neglecta, ad scribenda carmina, quæ mentem furore quodam diuino rapiunt, sese contulerit, nec ullo metu commotus sit. Ad hanc Musicam Dæmon, id est, moderatio animi Socratem hortatur, ut nulla corporis habita cura, de uita alia longè meliori cogitet. Hæc ita eße, ut retulimus, ipsemet Socrates postea docet, cum Cebeti Euenum ad mortem exhortandum eße dicit: ac mortem corporis, id est, solutionem animi à corpore, philosophos sequi iubet. Ergo, ut uno uerbo concludam, nihil aliud Musica isthæc est, quàm meditatio quædã philosophica, propter quã animus à corpore segregetur: quod ex ipsius Socratis uerbis coniectari licet, qui philosophiam summam eße Musicam inquit, eamq; popularem, atq; animi purgatricem. Hæc sunt, quæ in tota hac sententia Socratis explicatione digna uidebantur. Verba satis aperta sunt, res ipsas hinc cognoscentibus.

Hęc igitur ô Cebes, refer Eueno, & ualere iube. Atq; cõsule, ut si probè sapit, me sequatur. Migro enim hinc hodie. sic enim Athenienses iubent. Tunc Simmias: Quale id est, inquit, ô Socrates, quod Eueno mãdas? Sæpe equidem cum illo fui, & quantum de illo sentio, nullo penè modo libens ille tibi parebit. Quid uerò, inquit? nõ'ne philosophus est Euenus? Mihi quidẽ uidetur, inquit Simmias. Volet igitur & Euenus, & omnis quicunq; huius rei dignè est particeps. Non tamen fortè sibi uim inferet. Nõ enim fas esse aiunt. Et simul hæc dicens, crura è lectica demisit in terram. Atq; ita sedens, deinceps reliqua disputauit. Quæsiuit igitur ab eo Cebes, Quónã id modo ais, ô Socrates? fas quidẽ non esse seipsum uiolare, philosophũ tamen optare moriẽtem sequi? Quid ô Cebes, inquit, nõ'ne tu Simmiasq; talia quędã audiuistis à Philolao, quo familiariter utebamini? Manifesti quidẽ, inquit Cebes, nihil ô Socrates. Atqui ego quoq; de his rebus, inquit Socrates, ex auditu loquor. Quæ igitur fortè ipse audiui, referre uobis nulla inuidia prohibebit. Etenim fortè maximè decet illò migraturũ considerare atq; effingere, qualis fore putãda sit hæc ipsa migratio. quid enim aliud usq; ad solis occasum quis faciat? Quã ob causam, inquit Cebes, ô Socrates, nefas esse aiunt sibimet manus inferre? Iã enim quod modò quærebas, ego à Philolao audiui, quũ apud nos uersaretur, & ab alijs insuper nõnullis, non decere id facere apertum tamẽ hac de re quicquam nihil ab aliquo unquam audiui. Sed attentione opus est, inquit. Nam etsi audiueris, mirũ tamẽ fortè uideri possit, si hoc solum ex alijs omnibus simplex sit, nec accidat unquam homini, quemadmodũ cætera, quando & quibusdam melius mori quàm uiuere. Itaq; mirum tibi fortè uidebitur, si his quibus præstat mori, non liceat sibimet prodesse, sed alium oporteat expectare qui prosit. Tunc Cebes subridens: Prò Iupiter, inquit, Thebanorũ more. Atqui uideri quidẽ, inquit Socrates, potest id sic absurdũ. Fortasse etiam quandã habet rationem. Profectò sermo ille qui de his arcanis habetur, in quadam custodia esse homines, neq; decere quenquam ex hac seipsum soluere, neq; aufugere, magnus quidem mihi uidetur, neq; cognitu facilis. Veruntamen id mihi, ô Cebes, rectè apparet dictũ, deos quidem curam habere nostri, nos uerò homines unam quandam ex possessionibus esse deorum. An non ita tibi uidetur? Mihi quidem, inquit Cebes. Nónne igitur, inquit, & tu, si quod ex mancipijs tuis seipsum perimeret, quum tu nullo modo id permisisses, irascereris utiq; illi? Et si potestatem haberes, pœna quadã afficeres? Omnino, inquit. Fortè igitur hac ratione haud præter rationem est, non prius decere se ipsum interficere, quàm Deus necessitatem aliquã imposuerit, qualẽ nobis imposuit in præsentia. Consentaneum id quidem apparet, inquit Cebes. Quod uerò dicebas modò, philosophos perfacilè uelle mori: absurdum ô Socrates, uidetur esse. siquidem quod nunc diximus, rationem habet,

habet, Deũ uidelicet nostrũ esse curatorẽ. nos uerò in rebus eius positos esse. Nullã enim id rationem habet, prudentissimos uidelicet homines non ęgrè ferre, ab ea cura se amoueri, quam sibi præstant dij, optimi omnium rerũ gubernatores. Nũquam enim putaret uir prudens, ipsum se melius esse curaturum, si liber euaserit: sed demens aliquis forsitan id putaret, fugiendum scilicet esse à domino: neq; cogitaret nõ esse id quod bonum est fugiendũ, sed in eo maximè permanendũ. Ideoq; absq; ratione fugeret. Qui uerò mẽtem habet, semper apud eum qui sit melior esse cupit. Atq; ita ô Socrates, cõtrà omnino conueniẽs esse uidetur, quàm quod paulo antè dicebatur, Sapientes quidem decere grauiter mortem ferre, insipientes uerò libenter. Socrates igitur cum hæc audisset, delectari uisus est argutia Cebetis. Conuersusq; ad nos: Semper, inquit, hic Cebes ratiões quasdã perscrutatur: neq; admodum facilè, quod quiuis dixerit, uult admittere. Tunc Simmias: Mihi quoq;, inquit, nonnihil uidetur Cebes dicere. Quo enim cõsilio sapientes uiri eos qui meliores reuera quàm ipsi sunt, fugiant, illisque carere facile patiantur? Atqui mihi uidetur Cebes sermonem in te intendere: quòd tam facile & nos relinquas, & deos, ut tu ipse fateris, principes bonos. Iusta dicitis, inquit Socrates. Arbitror enim uos dicere, meipsum tanquã in iudicio oportere purgare. Et maximè quidẽ, inquit Simmias. Age uerò, inquit. Conabor nũc apud uos accuratius, quàm nuper apud Atheniensium iudices fecerim, me defendere. Equidẽ ô Simmia atq; Cebes, nisi me migraturum putarẽ, primùm quidem ad Deos alios sapientes & bonos, deinde ad homines defunctos his qui hic sunt meliores, iniusta agerẽ, non molestè ferens mortem. Nunc certũ habetote, sperare me ad bonos uiros iturum: sed hoc quidem haud omnino asseuerarẽ. Quod uerò ad deos, dominos ualde bonos, iturus sim, certum habetote, si quid aliud eiusmodi, & hoc utiq; me affirmaturum. Propterea haud similiter mortem molestè fero, sed bono animo sum, speroq; superesse aliquid his qui defuncti sunt: atq; ut iã diu dicit, multo melius bonis fore quàm malis. Quid nã ô Socrates, cogitas? inquit Simmias. Nunquid ipse cum isthac sententia hinc abire? An nos quoq; participes eius relinquere? Nempe cõmune nobis quoq; id bonũ arbitror esse debere. Præterea ita demũ te apud nos purgaueris, si quę dicis, nobis etiam persuaseris. Dabo equidem operã, inquit. Sed Critonem prius auscultemus. Videtur enim mihi iamdudum nonnihil significare uelle. Quid nam putas aliud ô Socrates, inquit Crito, quàm quod iamdudum mihi dicit is qui tibi uenenũ est daturus? iubet enim te moneri, ut quàm parcissimè loquaris, dicens, eos qui disputant, nimium incalescere, nihil uerò tale bibituris uenenum conuenire. Alioquin eos qui id fecerint, cogi interdũ bis, quandoq; ter uenenũ bibere. Mitte ipsum, inquit. Tantum id quod officij eius est paret, tanquã bis, & si oportuerit ter præbiturus. Et antea quidem, inquit Crito, fermè id responsurum sciebam. Sed ille me iamdudum stimulat. Mitte ipsum, inquit. Ego uerò ô iudices, rationem uobis iam reddere uolo, ob quam mihi uideatur uir qui per omnem uitã incubuerit philosophiæ, meritò magna cũ fiducia imminentem expectare mortem: atq; bona spe esse, se ibi, postquam hinc migrauerit, maxima bona reportaturum. Quemadmodum igitur id ita se habeat, ô Simmia atq; Cebes, conabor equidem aperire. Quicunq; philosophiam rectè aliquando attigerũt, nimirum uidentur latuisse cæteros homines, quòd nihil aliud ipsi commentarentur quàm mori, atq; esse se mortuos. Quòd si id uerum est, perabsurdum foret, si cum nihil præter

hoc

hoc aliud per omnem uitam studuerint, hoc ipso adueniente quod iam diu agitabant, exercebantq́; grauiter ferrent. Hinc Simmias arridẽs, Per Iouem, inquit, ô Socrates, mihi quidem haud multum ridere cupienti, risum expressisti. Nã multos arbitror fore, qui si id audierint, aptissimè in philosophos dictũ putent, nostrosq́; homines consensuros, & ualde quidem, philosophos reuera mori, nec tamen ignorare quàm digni sint morte. Fortè id rectè ô Simmia, inquit, dicerent: præterquam quòd nõ ignorare addũt. Latuit sanè eos, qua ratione ueri philosophi & mori studeãt, & morte sint digni. Sed iam relinquamus illos, nobisq́; ipsis loquamur. Putamus'ne aliquid esse mortem? Aliquid certè, inquit Simmias. Nunquid aliud, inquit, quàm animæ à corpore solutionem? Esseq́; id mortuũ esse, scilicet solutũ ab anima corpus per se seorsum esse? Seorsum quoq; à corpore animã solutã, ipsam per seipsam existere? Nũquid mors præter hoc aliud est? Nihil aliud, inquit Simmias. Considera, inquit, bone uir, num tibi idem quoq; & mihi uideatur. In his enim uos arbitror planius, quę perquirimus, inuenturos. Videtur'ne tibi philosophi officium esse, sectari eas quæ appellantur uoluptates, quales sunt epularũ atq; poculorum? Minimè quidẽ ô Socrates, inquit. Sed nunquid uenereorum? Nullo modo, inquit. Quid reliquũ corporis cultũ, an multi facere philosophus tibi uidetur? ut habere uestes egregias, calceosq́;, & alia quæ circa corpus sunt ornamenta, utrum multi facere tibi uidetur, an nihili pendere, nisi quatenus magna cogat necessitas illis uti? Mihi quidẽ uidetur uerus philosophus hæc omnia floccipendere, inquit Simmias. An nõ tibi uidet, inquit, eiusmodi studiũ haud ad corpus quidem declinare, sed quantum fieri potest, ab illo discedere, atq; ad animum se conuertere? Mihi quidẽ, inquit Simmias. Non'ne igitur in eiusmodi rebus primũ manifestè apparet philosophus preter ceteros homines, animũ quàm maximè potest à commercio corporis segregare? Apparet, inquit. Putãt uerò pleriq;, ô Simmia, eũ hominẽ, cui nihil talium dulce sit, neq; illis fruatur reuera uiuere existimandum non esse, sed penè mortuum, cum uoluptates corporis non percipiat. Verissima narras, inquit. Quid autem circa sapientiæ ipsius acquisitionem? inquit Socrates. Vtrũ impedimẽto est corpus, si quis ipsum sociũ ad inuestigandum assumpserit, nec'ne? Quale utiq; tale aliquid dico. Habet'ne uisus & auditus ueritatem in hominibus aliquam? An talia quædã ipsi quoq; poetæ semper canunt, nihil nos audire, nihil uidere syncerum? Atqui, si ij corporis sensus synceri certiq; nõ sunt, neq; etiam alij: quippe cum cæteri omnes his quodammodo deteriores sint. An non tibi uidentur? Prorsus, inquit. Quando igitur animo ueritatem attingit? inquit. Quando enim aliquid cũ corpore tentat inuestigare, proculdubio decipit à corpore. Verè loqueris, inquit. An nõ, sicubi propriè in ipsa ratiocinatione fit sibi aliquid eorũ quæ uerè sunt manifestũ? Ita est, inquit. Ratiocinatur autẽ tunc optimè, quando horũ nihil eum perturbat, neq; auditus, neq; uisus, neq; dolor, neq; uoluptas: sed quàm maximè seipsum in se recipiens, deserit corpus, neq; quicquam quoad fieri potest cum illo communicans, neq; attingens ipsum quod uere est, affectat. Est ita, inquit. Nõ'ne, inquit, Simmias, & in hoc philosophi animus maximè contemnit corpus, ab eoq; aufugit, quæritq; secundũ seipsum uiuere? Apparet, inquit. Quid uerò hæc, ô Simmia? inquit. Dicimus'ne iustũ ipsum esse aliquid, an nihil? Aliquid per Iouẽ, inquit. Rursus ipsum pulchrũ, ipsumq́; bonum, aliquid esse? Quidni? Nũ aliquando horũ aliquid oculis percepisti? Nunquam. An alio quodam sensu

corporis attigisti? Loquor autem de omnibus, ueluti de ipsa magnitudine, de sanitate, de robore ipso, ac summatim de cæterorum omnium essentia: id est, quod unumquodq; sit, nunquid per corpus quod in his uerissimum est, perspicitur? An ita se res habet? Quicunq; nostrûm maximè & sincerissimè cogitare mente se cōparat ipsum quod aggreditur cogitandum, hic proximè ad cognitionē ipsius accedit? Prorsus. Nōnne igitur ille purissimè faceret, quicunq; ipsa mentis excogitatione q̃ maximè se ad unumquodq; conferret, neq; uisum in excogitando adhibens, neq; sensum prorsus ullum ratiocinationi coniungens: sed ipsa secundum seipsam mentis excogitatione sincera utēs, ipsum per se quodlibet sincerum existens studeret uenari, ab oculis, ab aurib. & ut summatim dicam, à toto corpore liber, utpote perturbante animum, neque permittente ueritatem, sapientiamque assequi, siquandò in communionem recipiatur? An non hic erit ô Simmia, si quis unquā alius, ipsius quod uerè est cōpos? Mirificè uerò loqueris ô Socrates, inquit Simmias. Nō'ne igitur, inquit, ex his omnibus necessariò sequitur, opinionē eiusmodi legitimis philosophis usqueadeò constare debere, ut ad se inuicem ita loquantur? Necessaria iam ratione concluditur, nos quadā rationis ipsius uia ad id considerando perduci, uidelicet donec corpus habemus, animusq; noster tanto malo erit admixtus, nunquā nos id quod desideramus, uerè ad uotum consecuturos. Impedimēta enim penè innumerabilia corpus præbet, propter necessariam eius alimoniam. Præterea morbi nobis hinc incidentes, inuestigationem ueritatis impediunt: amoribus, cupiditatibus, timorib. multiplicibusq; imaginibus, multis deniq; nugis nos implet, ut uerissimè dicat, nihil pensi unquā ac ueri nobis afferre. Nam ad bella, ad seditiones, ad pugnas, nihil aliud quàm corpus, multiplexq; eius cupiditas impellit. Omnia enim pecuniarum gratia fiunt. Pecunias autem quærere cogimur, corporis gratia, usui eius inseruientes. Atq; ita fit, ut propter hæc omnia à philosophiæ studijs abstrahamur. Extremum uerò omnium est, quòd si quid ab ipso ocij nobis contingat, nosq; ad considerandum aliquid conferamus, inuestigantibus nobis rursus ubiq; sese opponens, tum uultu quodā perturbat animum, & quasi percutiens reddit attonitum, adeò ut hoc obstaculo impediti, uerum perspicere nequeamus. Cæterùm nobis reuera demonstratum est, siquando optamus purè aliquid intelligere, recedere à corpore oportere, atq; ipso animo res ipsas considerare. Atque tunc, ut apparet, compotes euademus eius quod affectamus, cuius'ue amatores profitemur nos esse, scilicet sapientiæ, cum uidelicet mortui fuerimus, quemadmodum significat ratio: dum autem uiuemus, nequaquam. Nempe si nihil cum corpore purè discerni potest, è duobus alterum: aut nullo modo possumus scientiam consequi, aut post mortē. Tunc enim animus ipse per seipsum erit seorsum à corpore, prius uerò nequaquam. Atq; dum uiuimus, ita ut uidetur, proximè ad sciētiam accedemus, si quam minimū cū corpore cōmerciū habuerimus, neque quicquā cum illo cōmunicauerimus, nisi quantū summa cogat necessitas: neq; huius natura replebimur, sed ab eius contagione cauebimus, quoad Deus ipse nos soluat: atque ita puri, & à corporis insania liberati, ut consentaneū est, cū talibus erimus, cognoscemusq; per nos ipsos sincerū quodlibet, id est forsitan ipsum uerū. Nam impuro quidem purū attingere nefas est. Talia equidem ô Simmia, iudico necessarium esse, omnes discēdi cupidos loqui inuicē, atq; opinari. An non tibi uidetur? Et maximè quidē, inquit Simmias, omnium ô Socrates. Si

hæc igitur, inquit, uera sunt, ô amice, magna spes est eunti illuc, quò nũc ego proficiscor: sicubi, & ibi sufficienter eius rei se compotem fieri, cuius gratia tantum nos negocium in superiori uita suscepimus. Hãc ergo migrationem in præsentia mihi iniunctam bona spe suscipio, similiterq; quiuis alius, qui modò putauit præparatam sibi mentem, tanquam purificatã. Ita prorsus, inquit Simmias. Purificatio uerò, inquit, nónne in hoc consistit, quod iamdudum dicebamus: uidelicet, ut quàm maximè possumus, seiungamus à corpore animũ? hoc est, & in præsenti tempore, & in futuro, à corpore tanquã à uinculis resolutum. Maximè quidem, inquit. Non'ne igitur hęc mors appellatur solutio animæ, separatio à corpore? Prorsus. Soluere uerò ipsum, quemadmodum confitemur, omni tempore maximè ac soli student, qui rectè philosophantur. Atque hæc ipsa philosophorum meditatio est, animum à corpore soluere atq; separare. Non'ne ita? Ita uidetur, inquit Simmias. Quamobrem, ut in principio dicebam, ridiculum foret, si uir, qui se in uita sic comparauit, ut quamproximè ad mortem accederet, ea deinde adueniente, perturbaretur. Nonne ridiculũ? Quid ni? inquit Simmias. Reuera igitur, inquit, rectè philosophantes mortem commentantur, atq; ab ea minimè omnium perterrentur. Ita uerò considera. Cũ enim corpus quidem ubiq; aspernentur, animum uerò ipsum cupiant secundum seipsum habere, nõ'ne summa esset absurdas, si tunc, quãdo id euenit, expauescant, molesteq; ferant: neq; libenter illuc proficiscantur, quò quum peruenerint, spes est eo quidem, quod amabant in uita, potiri: amabant autem sapientiam: eo autem cuius commercium molestè ferebant, liberari? An uerò amatis & mulieribus & filijs defunctis, multi iam sponte uoluerunt ad inferos proficisci, sperantes eos ibi uisere, cũ eisq; uersari quos amauerant? Sapientiæ autem uerus amator, uehementer in hanc ipsam spem adductus, non aliter eam pro dignitate ulla se comparaturũ, quàm si moriatur, imminentem mortem ęgrè feret, an non libenter hinc illuc emigrabit? Arbitrari quidem ô amice oportet, si uerè philosophus sit, magnopere apud ipsum hanc opinionem ualere, ut non alibi puram sapientiã posse assequi speret, quàm in futura post mortem uita. Si autem hoc ita se habet, nõ'ne, quemadmodum modò dicebam, præter rationem foret omnino, si mortem uir eiusmodi formidaret? Per Iouem, inquit Simmias, contra rationem. Sufficiens ergo coniectura erit, inquit, si quem uideris molestè mortem ferre, eũ non esse philosophum, sed φιλοσώματον quendam, id est corporis amatorem, atq; eundem fermè φιλοχρήματον, & φιλότιμον, id est pecuniarũ honorumq; cupidũ: ac talem, ut alterum horũ affectet, aut utrunque. Omnino ita est ut ais, inquit Simmias. Proinde quæ, ô Simmia, fortitudo nominatur, an non uiris eiusmodi maximè conuenit? Maximè. Nonne & temperantia, cuius pleriq; aiunt officium esse, nequaquam prosternere se libidinibus, sed paruipendere illas, modestiamq; seruare, his duntaxat cõuenit, qui corpus despiciunt maximè, atq; in philosophia uiuunt? Necesse est. Si enim cõsiderare uelis fortitudinem temperãtiamq; aliorum, tibi perabsurda uidebitur. Qua'nã, ô Socrates, ratione? Scis utiq; cæteros omnes mortem unum ex maximis malis existimare. Et maximè quidem.

Nonne igitur maiorum metu malorum, quicũq; inter eos fortes sunt, sustinent mortem, quando sustinẽt?

Hoc pacto. Metuendo igitur, atque metu, fortes ita sunt omnes, pręter philosophos: etsi absurdum est, metu uel timiditate aliquem esse fortem. Nimium certè, inquit Simmias. Quid autem? qui inter eos moderati dicuntur, inquit, nonne

simili quodam pacto affecti sunt, intemperantia uidelicet quadam temperati? Quanquam impossibile id esse dicimus: ueruntamen illis euenit affectio quædam huic similis, in isthac eorum fatua temperantia. Timentes enim, ne alijs careant uoluptatibus, eas'que appetentes, à cæteris abstinent, ab alijs superati: etsi uocant intemperantiam à uoluptatibus superari. ueruntamē accidit eis, ut superati à uoluptatibus, alias superent uoluptates. Iam uerò id illi simile est, quod modò dicebatur, scilicet quodam modo per intemperantiam fieri temperatos.

Simile quidem, inquit Simmias. Animaduertendum est ô beate Simmia, inquit, ne hæc haudquaquam recta sit ad uirtutem uia, uoluptates uidelicet uoluptatibus, dolores doloribus, & metum metu, & maius minori tanquam nummos commutare: sed ille duntaxat rectus sit nummus, cuius gratia hæc omnia oporteat commutari atque uenundari: scilicet sapientia, prudentia, pro qua, & cum qua omnia empta ac uendita reuera sit & fortitudo, & temperantia, & iustitia, ac summatim uera uirtus, cum sapientia siue prudentia, & accedentibus & recedentibus uoluptatibus, & timoribus, cæterisq; generis eiusdē. Sin autē à sapientia segregata inuicem commutatur, adumbratio quędā sit eiusmodi uirtus, ac reuera seruilis, nihil sani uericq; possidens: uirtutis autem ueritas in horum omnium purificatione reuera consistat: & temperantia, & iustitia, & fortitudo, & sapiētia ipsa sit purificatio quędam. Quamobrem hi qui mysteria nobis constituerunt, minimè contemnendi uidentur, sed reuera iamdudū occultè nos admonere: Quicunq; non expiatus, neq; initiatus migrabit ad inferos, eum iacere in luto: quicunq; uerò purgatus atque initiatus illuc accesserit, cum dijs habitare. Sunt enim, quemadmodum dicunt, thyrsigeri quidē multi, Bacchi uerò pauci. Hi uerò, ut equidē opinor, nō alij sunt ꝙ qui rectè philosophati sunt: quorū quidē in numero esse me neq; inferiorem quidem, omni studio pro uirib. conatus sum. An uerò rectè contēderim, aliquid'ue profecerim, cum illuc peruenerimus, certò sciemus, si Deus uoluerit, paulo pòst, ut mihi uidetur. Hæc igit̄ mea excusatio est, ô Simmia & ô Cebes, quā uidelicet ob causam, cū uos, eosq; qui hic sunt, dominos relinquā, meritò nō ægrè feram, neque perturber. Spero enim me & illic, nō minus ꝙ hic, bonos dominos amicosq; inuenturū. Multi uerò id minimè credūt. Si igit̄ defensio mea uobis magis quàm Atheniensib. iudicib. persuasit, bene se res habet.

Cum Cebes causam à Socrate quæreret, cur Aesopi fabulas carmine scripsisset, idq; sibi ab Eueno philosopho dictum assereret, Socratesq; eiusce rei rationem suprà reddidisset: nunc, quia eidem Eueno Socrates ipse dici iubet, ut se morientem sequatur, eandemq; mortē expetat, quam ipse sustineat, admiratus Cebes ea quæ dicat, negat aut Euenum ipsum, aut alium quenquam ultrò mortem expetiturum. At uerò Socrates aliud quiddam per mortem illam intelligens, quod postea explicabit, Cebetis admirationē tollit, re bene declarata. Sed nos, ut omnia explanatius aperiamus, ne quid sit difficultatis, hæc tria exponamus, quibus intellectis, res tota explicabitur: primùm, quis sit Philosophus uerus, & quid Philosophia: secundò, cur mortem philosophus debeat expetere, & quæ nam mors illa sit: postremò, qua ratione se neminē occidere posse putet, cum mortem à Philosopho dicat expetendam. Philosophus, ut Alcinous in lib. de Platonis dogmate, atq; Apuleius testantur, est sciendi studiosus: à Philosophia, id est, scientiæ studio sic appellatus. Idem autem, cum in cognitione rerū & contemplatione uersari debeat, animum ad id præparare, & quasi excolere debet. Nam optimæ illum in primis naturæ, facilisq; ad percipiendum quodcunq; disciplinæ genus esse oportet: tum rerum stabilium & æternarum studiosum, itemq; ueracē: deinde affectus cōpositos, et rationi subiectos habere, atq; elato ingenuoq; animo esse, ut res ciuiles contemnat, nec uulgi opinione trahatur. Et cum è duplici uitæ genere contemplatrix actuosa sit longè præstantior, ut Plato, Aristo-

ristoteles, cæteriq; philosophi affirmant: uerus quoq; philosophus sese cõtemplationi applicabit, relicta uita actuosa. Qui autem talis esse nolit, is philosophus non est: quemadmodũ lib. 5. de Rep. ipse philosophi ueri ac falsi ostendens discrimen ait, atq; in Epinomide & Amatoribus declarat, cum artes illas cõmemorat, quæ sint à uiro sapiente discendæ. Cum ergo philosophus, siue sapiens, Platonis sententia sit talis: quæ sit philosophia, deinceps uideamus. Philosophia quidem, ut Socrates in Amatoribus disserit, scientia est, qua se quisq;, atq; alios noscit, sint'ne boni, an mali: ut Alcionus autem refert, cupiditas scientiæ, solutio'ue animi à corpore, conuersioq; ad diuinarum rerum contemplationem. Eadem communi nomine à Platone sapientia nominatur, quòd rerum humanarum ac diuinarum scientia sit: cuius officium & partes diffuse lib. 7. de Rep. Plato idem recenset. Hoc aũt in loco philosophia corporis mors, & solutio animi à corpore, definitur in ijs uerbis, καὶ τὸ μελέτημα αὐτὸ τοῦτό ἐστι τῶν φιλοσόφων, λύσις καὶ χωρισμὸς ψυχῆς ἀπὸ τοῦ σώματος. His ita constitutis, doceamus, cur mortẽ debeat philosophus expetere, et quænam mors illa sit. Mors, ut hîc Plato definit, est animi à corpore secretio, cum ait, ἆρα μὴ ἄλλο τι, ἢ τὴν τῆς ψυχῆς ἀπὸ τοῦ σώματος ἀπαλλαγήν. καὶ εἶναι τοῦτο τεθνάναι; χωρὶς μὲν ἀπὸ τῆς ψυχῆς ἀπαλλαγὲν, αὐτὸ καθ᾽ αὑτὸ σῶμα γεγονέναι. Vt autem in Gorgia Socrates inquit, ὁ θάνατος τυγχάνει ὤν, ὥς ἐμοὶ δοκεῖ, οὐδὲν ἄλλο, ἢ δυοῖν πραγμάτοιν διάλυσις, τῆς ψυχῆς καὶ σώματος ἀπ᾽ ἀλλήλων. Quã quidem definitionẽ Cic. lib. 1. quæst. Tusc. ad uerbũ sic expreßit: Est interitus, quasi discessus, et secretio, ac direptus earũ partiũ, quæ ante interitum iunctione aliqua tenebantur. Cum ergo sic mors communi uoce definiatur, quæ'nam eadem sit hæc de qua Plato loquitur, uideamus. Qua in re prius, quemadmodũ homo ex anima et corpore cõstet, dicamus. Animã intellectilẽ esse, et à Deo exortam, Plato in Timæo, ac locis alijs affirmat: ipsamq; in corpus descendentẽ, integrũ animal constituere. Siquidẽ tria animorũ uehicula omnes Platonici asserunt, quibus anima ex intellectili mundo, siue à Deo in corpus descendat: primum, cum ab artifice ipso iunioribus dijs traditur, ut ex intellectili fiat sensilis: secũdum, cum à Dijs iunioribus sensilis facta, corporeorum sensuum uestigia sequitur: tertium, quando terreno corpori infunditur. Hoc igitur modo, & per hosce quasi gradus, in corpora delabi animos, Plato, & cum eo Platonici omnes existimant: ut Plotinus, in lib. de Animi descensu in corpora.

Iam duplex mortis genus apud Platonem est: alterum, animæ in corpus delabentis, quæ, quia ex natura intellectili ad sensilem migrat, mori dicitur: alterum, animalis totius ex anima corporeq; constantis. Hoc rursus genus est duplex, Macrobio teste libro 2. in Somnium Scipionis cap. 3. unum naturale, cum à corpore animato uerè anima discedit: alterum, quod uirtutibus acquiritur, cum eodem animali uiuente, animus ipse per contemplationem à corpore sese abducit. Atque hoc sanè mortis genus est illud, quod Plato in hoc loco significat, quod'que à philosopho ait expetendum. Nam philosophiæ beneficio anima è corpore segregatur, dum eiusdem illecebras & affectiones fugit: corpus uerò moritur, sedatis omnibus affectibus. Hæc est igitur illa corporis animi'que secretio, à Platone allata. Quam Porphyrius etiam in libro de Abstinentia animalium confirmat, uitanda esse omnia præcipiens, quæ mentem corporeis rebus affigant, quoniam sensilium rerum perceptio animum uehementer perturbet. Nam cum ibi mens sit, quò se ipse intellectus conuerterit: necesse est, itidem eum ad intelligibilia reuocari, neglectis sensilibus, ne ipsorum insistens uestigijs, corporeas affectiones sequatur. Hac de causa tantopere contemplationem, id est, philosophiæ studium commendat Plato, quòd eo ad diuinarum rerum cognitionem efferamur, nullumq; corporis motum effrenatum sentiamus, addicto philosophiæ penitus animo. Atque huiusmodi sanè hominem, mentis contemplationi deditum, uerum esse, Platonici omnes dicunt. Est enim huius animalis (ut auctor est Plotinus in libro, Quid homo, & quid animal) uita duplex: una peculiaris animo ipsi, qui se contemplationi diuinorum dediderit, à corpore, quantum fieri potest, extricatus: altera toti animanti; quæ quasi prioris imago est, quæ'que in rerum sensilium duntaxat cognitione uersatur. Ad illam ergo priorem, quam philosophando adipiscimur, Plato nos hîc uocat, dum ait, Corporis mortem philosopho esse expetendam.

Hoc explicato, uideamus, cur se præcepto Socratis nemo poßit occidere. Cum duplicem esse mortem dixerimus, unam naturalem, alteram per contemplationem philosophicam adeptam: hanc à philosopho esse expetendam, Socrates idem ait: illam euitandam, cum nemo sibi manus afferre, naturæ Deiq; iussu poßit.

Sed cur, inquies, ut mortem illam priorem amplectimur, hanc posteriorem declinemus? Certè, ut Socrates hoc in loco docet, refertq; Macrobius lib. 1. in Scip. somn. quia non nobis, sed Deo subiecta est uita nostra, quam eius iniussu minimè oportet abrumpere: tum quòd, cum in Deorum potestate simus, atq; eorundem prouidentia regamur, nec illis etiam inuitis obire mortem liceat: deinde, quia inuito domino, auferre id quod in loco aliquo ipse reposuerit, nemo iure poßit: postremò, quòd si quis à corpore sese explicare ante tempus à Deo sibi præscriptum uelit, summo uitio inquinetur. Hinc ergo concludit Plato, se neminem corporea illa uita posse priuare: ut Cebetis obiectioni respondeat, dubitãtis, quî fieri poßit, ut mortem expetat Philosophus, nec sibi tamen inferre manum poßit. Hoc ipsum Cicero lib. 1. Tusc. uidetur ex hoc loco mutuatus, in ijs uerbis: Vetat enim ille dominans in nobis Deus, iniussu hinc nos suo demigrare. Idemq; apertius in Somnio Scipionis: Quare, inquit, & tibi Publi, & pijs omnibus animus est retinendus in corporis custodia, nec iniußu eius, à quo ille est nobis datus, ex hominum uita migrandum est, ne munus aßignatum à Deo defugisse uideamini.

Postquam hæc Socrates contra Cebetis opinionem ita docuit, eadem Philolai Pythagorici auctoritate confirmat: qui, ut ex ipso acceperat Cebes, ac Simmias, humanum animum contemplatione à corpore segregandum eße dicebat, minimè tamen per mortem animalis seiungendum. Hac quoq; in sententia Plotinus est in libro de Eductione animi à corpore: itemq; Porphyrius, in lib. de Abstinẽtia: & Olympiodorus, qui quidem superioribus addit, se posse quenquam in magna neceßitate occidere. Sed contrà Socrates sencit, tum in hoc loco, tum in alijs. Hactenus sententia Socratis sit explanata, ut retulimus: nunc ne in illius uerbis quid restet difficultatis, eadem breuiter expli entur. Tum ergo mortem Philosopho dicit Socrates expetendam, cum iubet Euenum, se iam morientem sequi debere, quando idem philosophus sit: et philosopho omni sit mors, ut profeßioni suæ respondeat, expetenda. At Cebete id obijciente, neminem sibi manus afferre posse: obiectionem hanc diluens Socrates, inquit, Nulli quidem licere, se occidere: utile uerò esse, contemplatrici hac morte defungi. Addit et causas, cur nemini sibi mortem liceat cõsciscere, cum ait: **Veruntamen id mihi ô Cebes rectè dictum uidetur, Deos quidem habere nostri curam.** Sed cum adhuc Cebes idem, ac Simmias, ignorare se dicerent, quod nam mortis illud genus esset, de quo Socrates loqueretur, id primò ipse explicat: tum eiusmodi mortem à se commemoratam, philosopho docet expetendam: idq; suo exemplo confirmans, causam reddit, cur nolit apud iudices se defendere, qua ipsa uel in Apologia is utitur. Iam quasi apud iudices ipsos causam suam ageret, ita coram amicis prosopopœia quadam usus contendit, philosopho mortem expetendam: ac se proinde, ut philosophiæ studiosum, in causa mortis defendere nolle. **Ego uerò iudices rationem uobis reddendam iam puto, quapropter qui se tota uita in philosophia exercuerit, mortẽ naturæ hanc debeat contemnere, philosophicam uerò illam expetere.** In his ergo Socrates, quid sit mors, docet: tum, cuiusmodi mortem philosophus debeat expetere: & quæ sit uera illius uita: postremò, quid philosophia, et quomodo animum à corpore seiungat. Quoniam autem hoc loco multa occurrunt, quæ poßint difficultatem parere, quæ sit uera philosophi uita dicamus: item, quo pacto a Platonicis homo non corpus, sed mẽs esse dicatur: tum qua ratione sensus, & affectus, atq; adeò corpus ipsum, animo sit impedimento: postremò, qui animus contemplatione purgetur, ueramq; sapiẽtiam sequatur, & quæ rursus uirtutes eundem soleant purgare: atq; cur nemo in hac uita, sed in altera, ueram sapientiam consequatur. Vera philosophi uita, ut Plotinus in lib. de Beatitudine refert, intellectus ipse hominis est, à corpore sese abducens. quo enim magis à rebus corporeis animus seiungatur, eo uerius ac sincerius uiuet: quò autem se illis magis addixerit, eo certius morietur. Nam ut uita animi quædam actio est, à corporis natura diuersa: ita quoq; uiuere illum uerè dicimus, qui se minus corpori dederit. Eodem ferè modo intelligentiæ separatæ uiuaciores hominibus sunt, atq; hominum animæ reliquis animantium animabus. Itaq; uera philosophi uita est, contemplatio, & à corpore dissolutio. Hoc ita explicato, doceamus, quomodo hominem non corpus, sed animum ipsum eße dicant Platonici. Plotinus in lib. de Beatitudine, hominem ait, probum præsertim, non eße compositum aliquid ex anima & corpore, sed animum ipsum rationabilem. Id autem probat ex eiusdem animi secretione à corpore, quòd idem corporeas omnes res contemnat, quod'que fœlicitatis ac uitæ sit capax: nõ autem animal ipsum. Hunc secutus in lib. De anima & dæmone Proclus, er-

rare illos inquit, qui hominem esse animal ex animo & corpore compositum putant: nec eum potius, rationis participem animam, corpore ipso utentem: quoniam corpus non hominis pars, sed instrumentum sit. Hinc Plotinus in lib. Quid homo, & quid animal: Perturbationes, inquit, non esse hominis ueri, id est animi rationabilis, sed cõpositi animalis: quoniam homo uerus natura sua non afficiatur, sed sympathia corporis quadam. Ideoq; Platonici omnes, ut Macrob. li. 2. in somn. Scip. atq; alij, hominem mentem appellant. Eadem ratione fortaßè & Aristoteles lib. 10. Ethic. cor. uerum hominem, animum ipsum rationabilem ait eße, duasq; animantis huius uitas commemorat: unam compositi solam, cui ciuiles tribuit uirtutes, quas alio nomine ἠθικάς, id est, morales appellant: alteram mentis, ad quam separatas refert uirtutes, seu intelligibiles. Atq; ita quidem Ephesius Michael eum Aristotelis locum interpretatur. Videamus nunc & illud, quo pacto corpus sit animo impedimento: cur'ue hunc affectus, ac rerum sensilium comprehensio perturbet. Qua in re considerandum est, Platonis sententiam fuisse, ante corporis effectionem humanos animos extitisse: postea uerò, ut in Timæo docet, à dijs iunioribus corpori ut uehiculo immersos, participes sensus fieri. Hanc ob causam descensus ille animorum primus in corpora, prima mors ipsorum dicitur à Platonicis, quòd ijdem ex intellectili & incorporea essentia ad sensilem & participem corporis delapsi sint. Vnde Plato in Gorgia & Cratylo, corpus uocari σῶμα inquit, quasi σῆμα, id est sepulchrum, & δέμας, id est uinculum, quòd in eo animus sit ligatus, & constrictus. Quod ipsum innuit & Cicero in somnio Scipionis dicens: Qui è corporum uinculis tanquam è carcere euolauerunt. Sic & Porphyrius in lib. de Abstinentia animalium, de animi descensu illo loquens: Eramus nos, inquit, eßentiæ intellectilis, & nunc etiam sumus: copulati uerò corpori, sensiles efficimur. Vnde Plotinus in lib. Quid homo, & quid animal: homines bifariam eße inquit animatos. uno modo, ut rationis uerè participes, nimirum quatenus animum à corpore ipso seiungunt: altero autem, ut bruta, quatenus annexus est animus idem corpori. Hoc ergo statuto, quòd animus per se intellectilis sit, affectionibus uacuus, ac purus, quodq; dum corpori adhæret, affectibus perturbetur, & quasi corporeus efficiatur: illud quoq; perspicuum est, corpus ipsum impedimento illi esse. A' corpore enim perturbationes, appetitus, erroresq; omnes nascuntur, ut in Timæo sub finem Plato refert. Ideo qui se corporeis rebus applicuerit, intellectilem suam naturam deprauat, mortalis corporeusq; efficitur: cum nulla in sensibus certa scientia, sed error sit, nisi eos mens ad sese ducat. Nam aliter quidem uidemur sensibus quid comprehendisse, quàm mens ipsa per se iudicet: ut solem eße bipedalem, cum magnitudine sua terram multis superet partibus. Quo nomine Plato in hoc loco sensus, qui nihil sinceri aut certi capiant, decipere mentem ait à seipsis, ideoq; corpus ei esse impedimẽto, his uerbis: An uisus, audituśq;, ueritatem in hominibus habeant. Hinc nascitur dubia illa, nec satis à philosophis explicata quæstio: Num sensibus ueritas insit, an non. Academici enim, ut Cic. lib. 1. quæst. Academ. ostendit, nihil nos scire, nihilq; certum percipere posse dicunt: contrà reliqui, & melius, ut Plato, & Aristoteles, sensus quidem aiunt ex se falli, & errare, nisi mens adsit: quoniam obiectas res solum sensus capiens, nihil planè dijudicet: at mens imagines rerum per sensus æstimet, colligat, & consideret. Quo fit, ut animus rationis particeps, corpori terreno immersus impediatur, ligeturq;, tum sensuum comprehensione, falsa præsertim, tum affectibus uarijs à corpore nascentibus. Perturbato enim animo, sæpè nihil percipimus certi, aut ueri, quod Plato etiam ijs uerbis docet: Pręterea morbi hinc nobis incidentes, inuestigationem ueritatis impediunt.

Hac ipsa de causa in Timæo Plato, exercitationem corporis maximè commendat, quòd animi tranquillitas ea conseruetur: atq; idem, unà cum corpore moueri animum iubet, eo quòd corpus sic rationi subijciatur: ac uerus homo, id est, mens illi dominetur, uereq; intellectilem uitam agat. Postremo loco exponamus illud, qua ratione animus cõtemplatione purgetur, purgatusq; intelligibilem pulchritudinem intelligat. id quod in ijs uerbis Socratis dicit: Non'ne igitur ille purißimè faceret, quicunque ipsa mentis cogitatione quàm maximè se ad unumquodq; cõferret, neque uisum in contemplatione adhibens, neq; sensum prorsus ullum raciocinationi coniungens. Cum uerus homo sit, animus ipse à corporeis uinculis liber, non autem animal ipsum corporatum: uera animi purgatio erit, si se à corpore seiunxerit, & ad intelligibilium rerum contemplationem conuerterit. Siquidem Plotino auctore in lib. Quòd incor-

incor-

incorporea non patiantur, purgari animũ nihil est aliud, quàm philosophica cõtẽplatione affectus omnes sedari, animumq́; à rerũ corporearũ cura liberari. Tũc enim uerè id assequimur, cũ diuinorũ contemplationi intenti, terrena ferè omnia cõtemnimus, nec nisi necessaria corpori quærimus. Hæc igitur est medela illa, qua noster animus purgatur, quáq; quodãmodo intelligibilis redditur. Vnde Plotinus in lib. de Pulchritudine, animã uirtutem ac pulchritudinẽ habere tum inquit, cũ in antiquam puritatem eadem restituta, sit intellectilis, & incorporea, neglectis rebus corporeis. Atq; ita intellige, hîc Platonem uirtutem, intelligibilemq́; pulchritudinem, animi purgati iam actionem uocare. neq; enim hæc consequi, nisi nobis omnino contemplationi intentis, possumus: quandò nec illa ipsa pulchra & intelligibilia sensu, sed intelligentia percipiuntur, quemadmodum iñ ijs uerbis Socrates inquit: Quid uerò hæc, ô Simmia, inquit. dicimus'ne iustũ ipsum esse aliquid, an nihil? Aliquid per Iouem, inquit. Rursus ipsum pulchrum, ipsumq; bonum aliquid esse? *Pulchritudinem autem Plotinus duplicem esse ait: unam corpoream, alteram incorpoream. Incorporea quidem, ut alteram omittamus, rursus est duplex: una intelligentiæ ipsius propria, altera uerò totius animi. Illa in Deo bonitatis et pulchritudinis idea est, in nobis imago eiusdem, ueluti notio quædam animo nostro impressa, ut sunt quoq; aliæ multæ notiones. Cum ergo Plato inquit, pulchritudinem à purgato animo intelligi: idem est ac si dicat, animum à corpore separatum, & intellectilem iam effectum, à corporeis rebus purgari, purgatumq́; longa meditatione diuinam essentiam & pulchritudinem commodè posse cogitare. Hic enim est contemplationis finis à Platone propositus, ut animus diuinorum contemplatione & studio intellectilis ferè fiat in corpore, post adeptum intelligendi habitum. Atqui hæc est animi purgatio, à Platone hîc cõmemorata, & in Sophista, seu de Ente, in quo duas affert purgationes, unam animi, alteram corporis: quarum illa sit medicorum, hæc bonorum hominum. Etenim duo cum sint animi rebus corporeis sese applicantis uitia, alterum ex affectuum perturbatione, alterum ex ignoratione profectum: nihil esse inquit aliud Plato, purgari animum, quàm à duobus illis uitij generibus liberari, ut affectus componantur ratione, doctrina ignoratio pellatur. Huiusmodi fortassè occasione ductus Plotinus, uirtutum quatuor genera statuit: primum, ciuilium: secundum, purgatricium: tertium, animorum iam purgatorum: quartum, exemplarium. Itaq; uirtutes primi generis eas esse dicit, quæ in uitæ officijs uersentur: ut iustitiam, temperantiam, fortitudinem, prudentiam. Secundi uerò illas, quæ in contemplatione quadam philosophica, mentem à corporeis rebus separante. Tertij eas, quæ animi moderati, & affectibus uacui propriæ sint. Quarti demũ illas, quæ in Deo, tanquam uirtutis idea quadam sint, quæ ab eiusdem essentia minimè distinguantur. Huiusmodi ergo secũdi generis uirtutes hoc loco Socrates intelligit, philosophi officia & uirtutes ostendens in ijs uerbis:* Proinde ô Simmia, quæ fortitudo nominatur, an non uiris eiusmodi maximè conuenit, qui corpus negligunt? *Hæc cum ita sint, restat nunc illud explicandum, cur Socrates ueram sapientiam in hac uita neget parari posse. Qua in re considerandum est, duplicem è philosophia notitiã oriri: unam, quæ opinio dicatur, ut ea quæ in naturaliũ rerum inquisitione uersatur: alteram, quæ uera sit scientia, & in mentem cadat, ut diuinorum contemplatio. Hæc eadem scientia purgati animi cum à rebus corporeis aliena sit, & intelligentia duntaxat comprehendatur: nunquam in hac uita corporea satis cõparari potest, quamuis per philosophicam contemplationem quodammodo purgatis animis posit. Ex quo patet, in altera uita incorporea, cum animus liber & uacuus sit, nos eandem scientiam consequuturos, quippe quæ in intelligentiam solum cadat, & ab animo planè intellectili facto capiatur. Hæc ipsa, uti Plato ait in Epinomide, ad considerandam diuinam generationem ac naturam, ueluti ad finem refertur: ideoq; homines, ut idem in Euthydemo refert, fœlices ac beatos reddit. At uerò cum in hac uita neminem fœlicem esse posse, in his Plato inquit, nec ueram sapientiam hîc comparari: minimè negat inesse nobis scientiam aliquam: sed eam tamen imperfectam esse dicit, & ueluti umbram illius superioris, quam à corpore soluti sumus habituri, uelut imaginem aut splendorem æternæ sapientiæ, quæ in solo Deo est, ut in Parmenide docet. Ex his omnibus tandem concludit Socrates, quæ sit uera philosophia, quæ uerum deceat philosophum, & quatenus possit in hac uita comparari, his uerbis:* Arbitrari quidem ô amice oportet, si uerè philosophus sit, magnopere apud ipsum hanc opinionem ualere, ut nõ alibi puram sapiẽtiam posse assequi speret, quàm

in futura post mortem uita. *Summa ergo totius disputationis hactenus à Socrate habitæ, hæc est: Primò, philosophũ uerum debere corporeas res omnes contemnere, soliq; mentis contemplationi se dedere: quoniam qui hæc negligat, is nõ philosophus, sed φιλοσώματος, id est corporearum rerum amator, aut φιλοχρήματος, id est lucri auidus: aut φιλότιμος, id est ambitiosus appellari debeat. Tum philosophiam ueram esse mortem corporis, uitamq; animi per sese uigentis. Dein, contemplationem hanc philosophicã animos nostros purgare, uirtutibus multis ornare, ueramq; sapientiam gignere. Hoc modo philosophi officio descripto, cur nolit se apud iudices tueri, sed mortem libẽtiùs subire, Socrates refert his uerbis:* Hæc igitur mea excusatio est, ô Simmia, & Cebes, quã uidelicet ob causam cum uos, eosq; qui hîc sunt, dominos relinquam, meritò non ægrè feram, neq; perturber. *Id est, Hæc cum ita sint de philosopho uero, iure igitur libens hanc mortem suscipio, ut hanc uitam corporis molestam, & duris dominis subiectam, quales sunt homines iniusti, & corpori dediti, cum præstantiori ac diuiniori alia cõmutem: nõ autem cum eadem hac qua iam fruor uita, si ab isthac morte nunc liberarer. id enim esset dolores pro doloribus alijs, affectus pro affectibus, metum pro metu, uoluptatem pro uoluptate permutare: id est, adhuc eadem in molestia esse: quod ego minimè opto. Huiusmodi ferè causis in Apologia, & Critone, idem utitur, dum rationem reddit, cur hoc in iudicio se nõ tueatur. Quæ omnes apertæ sunt, & in hunc locum non afferendæ.*

PHAEDONIS PLATONICI pars tertia.

Cum hæc Socrates dixisset, suscipiens sermonem Cebes, sic inquit: Cætera quidem ô Socrates, rectè dicta uidentũ. Quantum uerò ad ipsam animam spectat, ualde ambigũt homines, ne anima à corpore separata, nusquam sit ulterius, sed ipsa die qua homo mortẽ obierit, intereat, statimq; seiuncta à corpore dissoluatur: atq; exhalans quasi uentus aut fumus, dissipetur atque euanescat, neq; usquam ulterius omnino sit aliquid. Profectò si esset alicubi collecta in semetipsam, & ab his malis quæ tu modò narrabas liberata, multa nimirum bonaq; spes esset, ô Socrates, uera quæ dicebas fore. Cæterùm ad id fortasse persuasione fideq; non parua opus est, ut credatur, superesse animam post interitum hominis, atq; aliquam uim intelligentiamq; habere. Vera ô Cebes loqueris, inquit Socrates. Verùm qd agendũ censes? an fortè de his ipsis confabulandum, utrum ita fore, an aliter probabile sit? Libẽter equidem, inquit Cebes, audirem de his rebus quid sentias. Neminem arbitror, inquit, hæc audientem, ne si comœdus quidem sit, esse dicturum nugari nunc me, ac de quibus minimè oporteat uerba facere. Si ergo placet, oporteatq; considerare, id hoc pacto consideremus: utrum uidelicet apud inferos sint mortuorum animæ, necne. Vetus quidem hic extat sermo, cuius memores sumus, abire quidem illuc animas defunctorum, rursusq; huc reuerti, fieriq; ex mortuis. Atqui si hoc uerum est, ut ex mortuis iterum uiuẽtes fiant, essent animę illic nostrę. Neque enim rursus fierent, si alicubi non essent. Atq; hæc sufficiens coniectura est, ita esse, si reuera constet haud aliunde uiuentes fieri q̃ ex mortuis. At uerò nisi id sit, alia opus erit ratione. Omnino, inquit Cebes. Neq; uerò id in hominibus solũ, inquit, si planius intelligere uis, cõsideres, sed in animalibus omnibus, & plantis, atq; (ut summatim dicã) in omnibus quę gignuntur. in his, inquã, omnibus cõsideremus, nũquid omnia sic fiant, neque aliunde quàm ex contrarijs contraria, quibuscunq; tale aliquid contingit: quemadmodũ pulchrum turpi quodam modo contrarium est, & iustum iniusto, aliaq; eiusmodi quàm plurima uidemus. Ergo utrum necessariũ sit, cuicunq; aliquid est contrarium, nullo modo aliunde id quàm ex suo cõtrario fieri? Veluti quando quid maius efficitur, necesse est ex eo q̃d antè fuerat minus, postea maius euadere. Ita

d est,

est, inquit Cebes. Nónne & si minus aliquid fiat, ex eo quod ante maius erat, postea fiet minus? Sic omnino, inquit Cebes. Quinetiam ex robustiori debilius, ex tardiori uelocius? Prorsus. Quid uerò? Si qd euadat deterius, nõ'ne ex meliori? Et si iustius, ex iniustiori? Quid ni? In omnibus igitur satis id exploratum habemus, omnia ita fieri, cõtraria uidelicet ex cõtrarijs. Prorsus, inquit Cebes. Quid rursus, inquit? Est'ne medium aliquid inter contraria duo? Duæ uidelicet inter illa generationes, siue progreßiones ab altero quidem in alterum, atque in alterum uicißim ab altero? Sanè inter maius atq; minus mediũ obtinet incrementum, & decrementum: dicimusq; id quidem crescere, illud uerò decrescere. Ita, inquit Cebes. Non'ne similiter discerni uicißim, atq; confundi, frigescere, & incalescere, omniaq; eodem pacto? Etsi nomina nobis desunt alicubi, ubiq; tamẽ ita necesse est fieri, uidelicet omnia ex cõtrarijs inuicem, generationemq; esse utriusq; uicißim in alterum? Omnino quidem, inquit. Quid uerò? ei quod est uiuere, est'ne aliquid contrariũ? quẽadmodum ei quod uigilare est, dormire contrarium? Sic est omnino, inquit Cebes. Quid'nam? Mori.

An non ex se inuicem hæc fiunt? si quidem cõtraria sunt. Cumq; duo sint, duæ quoque inter hæc generationes mutuæ, siue progreßiones?

Nihil prohibet. Alteram quidẽ coniugationẽ eorum quæ modò dicebam, ego tibi dicam, tam ipsam q̃ generationes eorum. Tu uerò mihi aperies alterã. Dico autẽ illud quidem dormire, illud autẽ euigilare, atque ex somno uigiliam fieri, & ex uigilia somnũ: horumq; generationes hanc quidem cõniuere, illam uerò expergisci. Satisfeci tibi, nec'ne?

Satisfecisti certè, inquit Cebes.

Dic tu mihi quoq; similiter de uita atque morte. An non contrarium uiuere dicis esse atq; mori? Equidem. Et ex se inuicem fieri? Ita.

Ergo ex uiuente quid'nam fiet?

Mortuum. Quid autem ex mortuo? Necesse est confiteri, uiuens.

Igitur ex mortuis ô Cebes, uiuentia fiunt, atq; uiuentes. Apparet.

Sunt igitur apud inferos animæ nostræ. Videtur. Non'ne ergo et generationum quæ circa hæc sunt, altera quidem manifesta est? Mori enim manifestum est, non'ne? Ita prorsus. Quid'nam igitur faciemus?

Nõ reddemus uicißim generationi huic cõtrariam, sed hac in re duntaxat mancam dicemus naturam esse? An uerò necesse est reddere ei quod mori est, contrariam quandam generationem? Omnino. Quam uerò istam? Reuiuiscere. Nónne igitur si reuiuiscentia est, progreßio quædam hæc est ex mortuis ad uiuẽtes?

Est utique. Conuenit ergo nobis hac insuper ratione, uiuẽtes ex mortuis fieri nihilo minus, quàm mortuos ex uiuentibus. Quod cum ita sit, sufficientem coniecturã hinc haberi, animas mortuorum necessariò alicubi esse, unde iterum reuertantur. Videtur mihi ô Socrates, hoc ex his quæ concessa sunt, necessariò sequi. Animaduerte ergo, inquit, ô Cebes, haud ab re nos hæc, ut arbitror, conceßisse. Nisi enim continuè altera uicißim alteris redderentur quasi quodam circulo remeãtia, sed directa quędã progreßio foret duntaxat ex altero in eius oppositũ, neque rursus reflecterẽt in alterũ, facerentq; regressum, omnia tandem, mihi crede, eandẽ subirent figuram atque paßionem, fieriq; cessarent. Quónam id pacto dicis, inquit Cebes? Haudquaquã intellectu difficile est, inquit, quod loquor. Perinde enim ac si in somnum caderetur quidem, ab eo uerò in uigiliã nunquã resurgeretur, minimè te latet, omnia tandem eò deuentura, ut Endymion ridicula quædam fabula uideatur, neq; appareat usquam, tum cætera quoq; uniuersa somno similiter opprimãtur. Proinde si confun

derentur

derentur quidem omnia, nunquam uerò discernerentur, Anaxagoræ illud repentè cõtingeret, uniuersa uidelicet esse simul. Eadem ratione ô amice Cebes, si quæcunq; uitam acceperint, moriant: mortua uerò cum fuerint, mortua relinquãtur, neque iterum reuiuiscant: an non necessarium est omnino, cuncta demum interijsse, nihilq; uiuere? Nam si ex alijs quidem uiuentia fierent, postea uerò perirent, quid obstaret quo minus in interitum cuncta cõsumerentur? Nihil prorsus, ô Socrates, inquit Cebes, sed mihi omnino uera loqui uideris. Est certè ô Cebes, inquit, maximè omnium ita ut mihi uidetur: neq; nos hæc ipsa, quasi decepti, confessi sumus: sed reuera reuiuiscentia est, atq; ex mortuis uiuentes fiunt, mortuorumq; supersunt animæ. Atq; bonis quidem melius est, malis uerò peius.

SEBASTIANI FOXII MORZILLI Hispalensis in III. Phædonis Platonici partem commentarij.

Hactenus in disputatione Socratis de philosophi officio, philosophia, & dissolutione animi à corpore dictũ est, id quod ad animorum immortalitatis confirmationẽ uiam aperire maximè uidetur: nunc, quoniam Cebes de animi essentia, durationeq; Socratem rogat ijs uerbis, Cætera quidẽ Socrates rectè dicta uidentur, quantum uerò ad animũ ipsum spectat, ualde ambigũt omnes: *ipsam iam disputationem ea de re ille ingreditur. Quapropter, ut nos ordine singula exponamus, primò quæ sit animi essentia dicendum est: deinde, cui philosophiæ parti eius cognitio subijciatur. Quibus propositis, facile erit, eiusdem animi immortalitatẽ tueri, essentiæ genere intellecto. Plato (ut aliorum de animo sentẽtias omittam, quas Aristoteles lib. 1. de Anima, et Tusc. 1. M. Tullius recitant) animum essentiam quandam, seipsam mouentem numero harmonico, definit: Aristoteles uerò* ἐντελέχειαν, *hoc est, actum primum organici corporis facultate uitam habentis. Nam ille in Timæo, essentiam quandam intelligibilem, à Deo genitam, æternã, & huic corpori minorum Deorum ministerio annexam, animum esse hominus inquit: hic autem lib. 2. de Anima, perfectionem & formam corporis animati. Vterq; tamẽ incorpoream essentiam esse animi putat, & extrinsecus corpori aduenire. His ita de animo breuiter dictis (nam plura nos alibi, & fusius) uideamus nunc, cui philosophiæ parti eius cognitio subijciatur. Cum omnem philosophiam & Plato & Aristoteles in contemplatricẽ, actuosamq; diuiserint: contemplatricemq; rursus in rerũ corporearum inquisitionẽ, id est, physicam, & corpore carentium, id est, sapientiam, seu primã philosophiam, quæ Metaphysica uulgò nominatur: media inter has duas disputatio de animo interijcitur, quoniam idem animus est partim corporeus, quatenus rerum corporearum utitur perceptione: partim incorporeus, quatenus eius natura diuersa est à corpore. Hac in sentẽtia sunt Plato, & Aristoteles: quorum ut ille in Timæo, naturam quandã animo mediam adscribit inter sensilia & intellectilia: ita & hic in libris de Natura, & de Animo. Quapropter et Plato in eodem Timæo, ex numeris animum gignit, ut media eius natura significetur. His ita propositis, quoniam de immortalitate animorum agendum est, antequam eas rationes, quas hoc in dialogo Socrates affert, colligamus, reliquas ex Platonis alijs libris interseramus, ut hæc disputatio quàm plurimis & quàm firmissimis argumẽtis roboretur. Itaq; Plato idẽ in Phædro, ac libris de Rep. ubi animi immortalitatem tueri ex instituto uidetur, huiusmodi ferè utitur rationibus: quarum prima quidem hæc est, sed multiplex, & aliquantum obscura. Quicquid ex se mouetur, æternũ est: anima ex se mouetur, ergo eadem est æterna. Quòd autem æternum id sit, quod à se ipso mouetur, confirmat, quia initiũ sit motus: & quicquid initium sit, careat origine: ideoq; sit immortale, quoniam nec finem sit habiturum. Quòd etiam anima à se moueatur, ostendit ex corporis motu, quem ipsum ex se non habet, sed ab anima, cum idem sit potius immobile ac rude, nisi ab anima commoueretur. Itaq; cum motum hunc animalis non à corpore proficisci, sed ab animo, Plato uideret: eundem esse immortalem uult, quòd initium etiam sit motus. Id ipsum à rerum diuisione confirmat: quia nonnulla sunt immobilia natura sua, ut corpora omnia, quæ nisi ab alio moueantur, moueri nequeant per se: alia rursus ab alio partim mota, partimq; ipsa mouentia, ut cœlestia corpora: alia deniq; media inter hæc, quæ nec ab alio moueantur, & ipsa moueant, ut anima. Atqui hac in ratione Plato animi essentiam à mouendi initio illo non distinguit, quod Ari*

stoteles, teste etiam Cicerone lib. 1. Tusc. sensisse uidetur, cũ ἐντελέχειαν, id est continuatã motionem esse animum inquit. Secunda ratio ex lib. 10. de Rep. sumpta, huiusmodi ferè est. Bonũ omne alia cõseruat, contraq; malum perimit. At si nihil mali, quod animum dissoluat, existat, immortalem esse illum sequetur. Aut enim malum illud ex animi natura ipsa exoritur, aut aliũde. Ex ipsa mali oriri nihil potest, quando eadem mali nihil habet: quia materiæ, quæ mutationi est obnoxia, expers est: Ergo extra illam positum malum est. Idem autem nec à corpore nasci potest, cum animus sit incorporeus, nihilq; à corporeis patiatur: nec ab incorporeis, ut ab artifice Deo, cum ille seruandi uim potius, ut bonus, habeat, q̃ perimendi: igitur animus est immortalis. Sunt et rationes aliæ non paucæ in Platonis libris diffuse sparsæ. Sed his contenti, ut firmioribus, reliquas in hoc libro adductas colligamus. Earum prima est ab antiqua opinione, & communi hominum omnium persuasione, qua cuncti natura duce immortalem esse animum putant, quam ijs uerbis Socrates affert: Vetus quidem hic est sermo, cuius memores sumus, abire quidem illinc animas defunctorum. Secunda ratio, ex continua rerum productione, quæ nunquam intermissa, tanquam circulo quodam sese conuertit, ut ait Aristoteles in libris de Ortu & interitu. Nam cum animas omnes à Deo simul genitas Plato & Pythagorici affirmẽt, ipsasq; in uaria corpora commeare, hoc modo rationem immortalitatis secundam concludit: Quæcunq; fiunt, ex contrarijs fiunt: ut magnum ex paruo, æquale, ex inæquali: atq; ita reliqua omnia ex priuatione formæ, quam in generatione sua assequuntur, fiunt, quemadmodum uel Aristoteles lib. 1. Physic. sentit. Atqui uita & mors contraria sunt: ergo id quod eorum utriusq; particeps est, fit ex contrarijs, nimirũ modò particeps uitæ, modò etiam mortis, idq; reciprocata commutatione. Id enim ita fit, ut migrante anima ex uno corpore in aliud, uita fiat illius, in quod migrat: cum idem per mortem, id est, carentiam animæ, prius emortuum quasi fuisset. Quod si ergo rerum generatio & interitus mutuò se semper cõsequuntur, & ueluti circulari motu assequuntur, sequitur, animam esse immortalem, cum ad interitum nunquã ruat, sed ad uitã ex priuatione eiusdem in corpore animato. Tertia ratio sic habet: Notionesq; animi omnes, quæ recordationes uerè sunt uitæ prioris, ante corpus ipsum extiterunt: neq; enim unà cum corpore tum gigni possent, ut in Menone docetur. Ergo animus, cui illæ insunt, antequam corpus extaret, effectus est: ut Timæus quoq; testatur in mundi animatione, asserens eius animũ corpore prius extitisse. Quòd si ergo ante corpus animus fuit, ergo unà cum eo nequit interire: ac proinde immortalis existet. At qui hæc ratio potissimùm in eo cõsistit, quòd animi omnes, Platonis sententia, fuisse unà orti dicuntur, indeq; in uaria corpora migrare: quod ex eiusdem notionibus satis probatur. Quarta huiusmodi est: Nihil sibi ipsi aduersatur: atqui animam esse mortalẽ, eiusdem naturæ repugnat, quippe cum uitam potius suppeditet: igitur eadẽ est immortalis. Quinta ratio talis est: Omne corpus, atq; adeò compositum omne ex partibus, est dissolubile: contraq; simplex omne, & incorporeum, dissolui non potest, cum in nullas compositionis suæ partes queat abire, quia nullas habet: at anima est incorporea, & simplex, ut ex eius actionibus patet: quæ si corporeæ essent, & ipsa esset corporea, cum actiones omnes causæ suæ sint similes: ergo anima nequit dissolui. Et hæc quoq; ratio æternam animi originem tueri uidetur, quia nulla concretione ipsum constare docet, ut exitio quoque carere concludat.

Addamus & his Aristotelis de immortalitate animorum sententiam, si apertè ille usquam tueri eam uoluit. Libro tertio de Anima, immortalem esse animum, seu intellectũ agentem, sentire Aristotelem, inquit Aphrodiseus: quòd is extrinsecus adueniat, quodq; diuersas à corpore actiones habere uideatur. Sed hæc obscura sunt, & exigua ad immortalitatem animi tuendã, ex sententia Aristotelis: qui uafer est, et lubricus in hac parte, nec de mortalitate eiusdẽ quàm de immortalitate pauciora dicens diuersis in locis. Nã præter id quòd in tanto librorum numero nusquam immortalitatem animi tuetur, quod eius est dubitationis indicium, multi etiam ex ipsius sententia mortalem esse animum dicunt: ut Iustinus Martyr in Parænesi ad Græcos, Gregorius Nyssenus lib. 2. de anima, Nemesius illius abbreuiator in lib. de Natura hominis, qui eandem Aristoteli ex ea uoce ἐντελέχεια corporis, quam Galeno, tribuit sententiam: Theodoretus, in Epitome diuinorum decretorum: Galenus deniq; ipse, qui ad suam sententiam eundem Aristotelem adducit. Quid quòd Aristoteles ipse Ethic. lib. 3. cap. 6. de timore ac fortitudine loquens, in dubium uocat, nũ animus sit immortalis, nec ne, his uerbis: φοβερώτατον δ' ὁ θάνατος, πέρας γάρ, καὶ οὐδὲν ἔτι τῷ τεθνεῶτι δοκεῖ. Itẽ in libro eodem,

dem, cap. 2. sic: βούλησις δ' ἐστὶ τῶν ἀδυνάτων, οἷον ἀθανασίας. Itemq́; lib. 10. nullam fœlicitatis futuræ faciens mentionẽ, longa esse uita opus ait fœlici futuro, ut perpetua beatitudine fruatur. Possent & alia multa loca proferri, in quibus de immortalitate animi apertè dubitat. Sed his omißis, expendamus Plotini Platonici argumenta, quæ ad intelligentiam loci huius non parum faciunt. Is ergo quatuor præcipuè capita rationum proponit ad animorum immortalitatem. Primò docet, à corpore ipsum esse separabilem, ac diuersum: id quod inde patet, quia rebus corporeis animus dominatur, affectibusq́; repugnat. Secundò, ex diuinorum contemplatione, & cognitione, quæ nisi in rem diuinitatis participem cadere nequit. Tertiò ex æternorum cupiditate, qua semper animus tenetur. Postremò, quia sempiternæ uitæ causa Deum animus idem colat, & illi pietas ac notio quædam religionis insita sit. Ex quibus omnibus concludit, non modò à corpore seiungi animos, sed etiã immortales esse.

Sunt & aliæ multorũ de immortalitate animorum sentẽtiæ, sed eæ partim imbecilles, ut Tullianæ in lib. 1. Tuscul. tum eædem planè cum Platonicis. Sed ex ijs optimæ mihi profectò Lactantij uidẽtur, è lib. 7. de Diuino præmio, quarũ prima sic habet: Incorporea omnia, ut angeli, Deus, atq; omnes mentes, æterna sunt, quia nulla concretione constant, cum potius simplicia sint: anima uerò incorporea est, ut ex eius actionibus liquet: æterna igitur est. Verũ hæc ratio cum quinta Platonis eadem est. Secunda est huiusmodi, & eadem longè firmior superiori: Si uirtus, quæ hominis propria est, secundum naturam non est, cum labore paretur, et corporis affectionibus dominetur, præmium in hac uita nullum habet, ut debet habere: in altera igitur habebit. Quòd si ergo nec hîc potest illud assequi propter labores, ac uitæ molestias: & alibi est assequutura, ne meritis suis priuetur: immortalis est igitur. Et huius rationis quoque uis ex appetitu fœlicitatis, & demonstratione illa, qua nos lib. 1. Philosophiæ moralis usi sumus, ut in hac uita fœlicitatem esse nullam doceremus, ducitur.

Addam his D. Thomæ Aquinatis, uiri in primis sanctißimi atq; doctißimi, argumenta, quibus eandem immortalitatem tueri, ac penè demõstrare mihi uidetur. Idem ergo in secundo Aduersus gentes libro, humanam animam esse naturæ intellectilis ex eiusdem uiribus atque actionibus probans, immortalem esse quoq; cõcludit. Quòd autem eadem sit intellectilis naturæ, indicat intelligentia, cognitio, ratiocinatio, memoria, cæteraq; uires eiusdem, quæ uel nullam, uel exilem admodum materiæ admixtionem recipiunt. Præterea nulla, inquit, res ex eo, quo sua constat perfectio, corrumpitur: cùm omnis interitus ex contrarijs causis fiat. at animæ perfectio, in separatione quadam à rerum corporearum contagione consistit: quia simplex omne, quo est minus corporeæ concretionis capax, eo est præstantioris naturæ: ergo anima, ob id quòd à corpore seiungatur, interire nullo modo potest. Et quanquam alia esse ratio animæ uideatur, cum ipsa per mortem à corpore seiungitur: alia, cum per actiones suas à corpore differentes: nihil tamen id obstat, cum unumquodq; sic agat, ut est à natura sua institutum, actionesq; omnes efficientis suæ causæ uim sequantur: alioqui efficiens sui simile nunquã efficeret. Itaque ut animi actiones eo sunt perfectiores, quò minus concretionis corporeæ habuerint, animam ipsam sequitur tunc perfectißimam esse, cum se prorsus à corporis societate extricauerit, siue intelligendo quid, siue affectiones à ratione auersas sedando, uirtutemq; exercẽdo. Porrò si id quod animum perficit, natura sua est incorruptibile, eundem immortalẽ esse necesse est: quando id quo perficitur, est aliquid immortale. Esse uerò incorruptibilia ea quæ ab animo intelligantur, & quibus idem perficiatur, dubium non est: quando & ea quibus idem perficiatur, uniuersalia sunt: quæ quatenus huiusmodi sunt, prire non possunt, ne toto sublato, partes etiam eius tollantur: et quo plura uniuersalia mens capit, eo est perfectior & ornatior. Iam cum desiderium in ijs quæ cognoscant, & sciant, cognitionem sequatur: idemq; desiderium, siue appetitio superuacanea esse nequeat, quin ad id quod desiderat, aliquando feratur: sequitur, animum immortalitatem assequuturũ, quam modis omnibus expetat: siquidem eam, dum uiuit in terris, nunquam habet, nec est habiturus: proindeq; in alia uita se illa fruiturũ sperat. Quòd si uerò quis dicat, bruta etiam, atq; omnia, quemadmodum ait Aristoteles, immortalitatẽ appetere: quòd immortale esse nihil aliud sit, quàm semper esse, idq́; in suo genere: omniaq; id expetãt naturali ui, quatenus se & cõseruant, & conseruata esse uolunt: fatebor id quidem, si eandem esse cunctis appetitionis rationem admittant: id est, eodem modo dicant bruta expetere immortalitatem, quo homines. Expetit quidem bellua esse se, ac uiuere totum illud uitæ spacium à natura sibi concessum, ulterius uerò nequaquam: quia ne id quidem sentit. Appeti-

tus enim cognitarum esse rerum debet: cognitio uerò immortalitatis futuræ, in rationē cadit tantummodo: quæ si omnibus inesset, appetitum etiam eiusmodi haberent. Dicuntur uerò cuncta immortalitatem appetere, similitudine quadam, & cōparatione: quatenus unumquodq; in suo genere esse se cupit semper, sicut est: quemadmodū homines, ac mētes separatæ semper sunt. Quinetiam si omne id quod in aliquid aliud recipitur, ad recipiētis se formam accommodat, siue potius in illo iam receptum forma sit eius quod est: neq; enim aliud est id quod cognoscitur, quàm eius forma ea, quæ ab animo sit comprehensa: ac formæ rerum in mente sic imprimuntur, ut actu ac re ipsa sint intellectiles: sicq; sunt intellectiles actu, ut & uniuersales, materiæq; expertes: sicq; uniuersales, ut etiam sint incorruptibiles: relinquitur sanè, humanum animum esse incorruptibilem: quando ea quæ in ipsum recipiantur, & ad eius se formam accōmodent, incorruptibilia sint, & immortalia. Deinde quia intellectile esse, prius est quàm esse sensile, quando uniuersa singulis priora sunt: & ea quæ comprehendunt uniuersa, priora illis sunt quæ tantùm capiant singula: & ea quæ primò sunt, & in se alia primò recipiunt, ut materia prima, incorruptibilia natura sua sunt, ne si interirent, reliqua etiam, quæ in ea recipiuntur, interirent: ergò anima, quæ primum receptaculum horum primorum intelligibiliū est, immortalis quoque existit. Iam uerò, quicquid efficit, eo quod efficitur, longè est præstantius: at intellectus agens efficit, ut actu sint intellectiles res in se: ergo ut actu intellectilia ob id quòd uniuersalia sunt, corruptionis sunt nescia: ita idem intellectus agens, qui illa talia efficiat, multo minus est corruptioni obnoxius. Idem autem intellectus, humani animi pars, seu facultas est: igitur et animus ipse immortalis est, ut eiusdem pars etiam. Adhæc, nihil omnino interit, nisi aut contrarij ui, aut deleto subiecto, aut deficiente sua causa: ueluti calor, à contrario frigido interit: uis cernendi, subiectis oculis erutis, perit quoq;: lux aeris, sole deficiente, eripitur. nullo autem horum modorū humanus animus potest perire: ergo nullo modo peribit, atque ideo immortalis existit. In primis quidem non potest ipse ui contrarij interire, quando contraria omnia recipit in mentem, dum ea cognoscit: & subiectum eius perire nequit, quod nullum habet, cum idem forma sit solum quædam expers materiæ, uti latius alibi docetur: nec etiam causæ suæ defectu peribit, quæ æterna est, id est Deus: ergo nullo modo esse morti obnoxia potest. Deniq; si ob dissolutionē, interitum'ue corporis animus corrumpi deberet, sequeretur, debilitato, affecto'ue illo malè, hunc ipsum, aut eius uim aliquam debilitari: sed per se nulla unquam animi uis debilitatur, nisi quatenus instrumento, quo utitur, malè affecto, ipse obscuratur, nec foras quasi prodit: unde restituto instrumento, si fieri possit, & uis etiam restauraretur: & intellectus uis animi sit, quæ cum instrumento, ut antea probatum est, non egeat, nec per se, nec accidētario interire possit: ergo nullo modo intellectus perire, nec anima, cuius pars idem est, corruptioni subijci potest. Addam his ego aliam, omissis reliquis uiri eiusdem rationibus è prima parte Theologicæ Summæ, quæ eadem ferè sunt cum superioribus, quæ mihi non parui momenti esse uidetur. Ea uerò sic habet. Ex eo quòd est, nihil omnino perire potest: quando nullus interitus, uel philosophorum omnium consensu, simplex est, ita ut aliquid in nihilum omnino redigatur. Atqui anima existit aliquid, ut ex eius actionibus patet: quia nihil esse actio sua possit, & actio omnis ab aliquo agente nascatur: ergo interire ipsa non potest. Restat ergo, ut uel nullo modo interire anima possit, cum in nihilum redigi nequeat: uel ipsam non planè perire, sed in aliquid aliud conuerti, cùm unius interitus ortus sit alterius. Ex anima uerò quid obsecro gigni possit? Num quid corporeum? nullo modo: quando ex incorporeo nihil fieri corporeum potest. Num incorporeum? quid ergo incorporeū illud sit? num tale, qualis erat antea anima, an aliud perfectius & purius, uel contrà imperfectius & fœdius? si tale sit, qualis erat antea, ergo remanet eadem, quando accidētarium aliquid tantùm mutatur, id est, connexio illa corporis: si aliud perfectius & purius, ergo non solum non interit anima, sed etiā purior redditur, ac proinde fit immortalior. si quid imperfectius ac fœdius, in quo'nam est quæso imperfectio illa? num in eo, quòd essentia eius pereat? nequaquam profectò, quando in nihilum redigi non potest. num in eo, quòd essentia illa, quæ prius fuerat, deterior fit? At fatebūtur tamē eandem essentiā remanere, cōditionem uerò eius tantùm mutari: quod nihil instituto nostro obstat. Nunc ad Platonis explicationem ueniamus.

Quantum uerò ad animam ipsam spectat, ualde ambigūt homines. Dubium inter philosophos diu fuit, essent'ne animi hominum immortales, an non. Nam, ut Plutarchus lib. 4. de Philosoph. decretis ait, Democritus et Epicurus, unà cum corpore eos interire putauerunt:

tauerunt: contrà Plato, Socratas, Pythagoras, ac Syrus Pherecydes, immortales esse. Ex his omnibus Plato, post Pythagoram, primus rationes huius rei attulit, cum superiores duntaxat sententiam ipsam protulissent. Cum ergo tanta philosophorum hac de re dissentientium opinionum uarietas sit, ab ea quæstione Cebes statim exorsus, quia suprà mortis philosophicæ ac Socraticæ facta erat mentio, petit à Socrate, nunquid immortalis sit anima, nec ne? Sed nos, ut singula ordine instituto explicemus, quæcunq; sese offerant hoc in loco difficilia, doceamus: Primò, cur animas defunctorum illinc, quò abierint, redire dicat, ut antiqua fama ferat, atq; ea immortalitatis ratione primùm utatur: Deinde, num anima sit à corpore separata, necne, aut eiusdē naturæ cum corpore: Vltimò, secundam de immortalitate animi rationem breuiter colligamus. In primis Platonicorum & Pythagoreorum sententia est, animos hominum, atque animantiū aliorum, ante corpus extitisse. Aiunt enim ij, animos omnes à Deo simul creatos esse initio mundi, indeq; ad uaria corpora demitti: ut in Timæo de distributione animorum in corpora perspicuum est, atq; in lib. 10. de Rep. in quo animarum fuisse à Deo numerum certum effectum, Plato inquit. Cui sententiæ Platonicus Olympiodorus astipulatus, antiquam fuisse famā inquit iam inde ab Orpheo & Pythagora ductam, animas in alia uita ante corpus fuisse: ex qua, in corpora hæc delaberentur, et hinc iterum eò redirent. Quam ob causam Plato in hoc loco inquit, ueterem famam fuisse, abire animas ad inferorum loca, atque inde rursus reuerti. Quod quidem ille ad immortalitatem animi tuendam, à fama & opinione antiqua petitum refert. Alij autem Christiani Platonici, id ipsum interpretantur de anastasi hominum futura: quā Iustinus Martyr contra Græcos Platonē cognouisse ait his uerbis: ἐνταῦθα μοι δοκεῖ ὁ πλάτων οὐ μόνον τὸν περὶ κρίσεως παρὰ τῶν προφητῶν μεμαθηκέναι λόγον, ἀλλὰ καὶ τὸν περὶ τῆς ἀπιστουμένης παρὰ ἕλλησιν ἀναστάσεως. Itemq; Lactātius lib. de Diuino præmio, cum Pythagoricos ait pro resurrectione animorum in uaria corpora commeationem induxisse. Idem & Cyrillus lib. 7. contra Iulianum confirmat, atq; alij multi. Sed horum pace non modò Plato, aut philosophi cæteri hanc resurrectionē Christianam ignorarunt, quemadmodum eleganter docet Augustinus in libris de ciuit. Dei: sed eam etiam permultis argumētis sustulere. quemadmodum uel Synesius Platonicus in episcopatum ascitus, ad omnia Christianorū dogmata capienda facilem se præbuit, hoc tamen unū de resurrectione uix unquam credidit. Sed his omissis, quæ ad rem parum conducunt: uideamus, num animæ à corpore possint separari, id est, sine corporibus per se ipsas existere. Qua in re perspicuum est, Platonem, Aristotelem, Plotinum, Alexandrū, ac reliquos, qui incorporeū animum fecere, id affirmasse: negasse uerò, quicunq; corpoream esse dixerūt. Nam Plato in Timæo, factos à Deo animos ante corpora inquit, posteaq; Deorum iuniorū opera infusos ipsis corporibus. Idem in Apologia, libris de Rep. alijsq; locis affirmat: itemq; Aristoteles lib. 3. de Anima, cùm mentem ait extrinsecus aduenire. atq; lib. 4. de Generat. animal. et Aphrodisæus lib. 2. de Anima, ac Plotinus in li. de Animorum descensu in corpora. Quæ cum ita sint, relinquitur, animum & à corpore separari posse, et eundem naturæ diuersæ à corpore esse. Id etiam ratione potest confirmari, quoniam si animus diuersas habet à corpore actiones, ut certè habet, diuersam quoq; habet essentiam: cum diuersarū essentiarū diuersæ actiones sint. itemq; si actiones illæ diuersæ à corpore sunt separatæ, ut est sanè intelligere, recordari, et similia, animus quoque seiungi à corpore potest.

His ita propositis, alteram Socratis de immortalitate animi rationem expendamus. Eius caput est, animos ante corpora extitisse: quo statuto, ratio ipsa concluditur, ad quam tamen conficiendam, duobus quasi medijs utitur. Primū est, quòd omnia fiant ex contrarijs: id quod Aristoteles in Physicis, & philosophi alij multi fatentur. secundum, quòd contraria, quæ ex se mutuò fiunt, subiectum aliquod habere debeant, quando alterum mutari nequit in alterū. Hoc posito, ratio sic concluditur. Omnia ex contrarijs fiunt, nimirū alterutro ipsorum in subiectum agente, et ipsum informante: at uita & mors sunt contraria, in eorumq; medio animal positum ueluti subiectum: ergo ex altero alterum fit, hoc est, modò animal uitæ fit particeps, modò expers. Quòd si autem è uita mors, & è morte uita oritur: igitur anima nunquā est morti obnoxia, cum ante corpus extiterit, & post eundem sit futura. Eandem hanc rationem alijs duabus Plato confirmat: quarum prima est, quòd generationis omnis progressus sit circularis, id est in se ipsum reciprocus: secunda, quòd si omnia ad interitum ruerent, nec regenerarentur, astrueretur illud Anaxagoræ, dicentis omnia in eodē esse permixta, indeq; secretione partium facta gigni: quod Aristoteles quoq; li. 1. Physic.

Physic. refutat. Atqui circulari motu omnem generationem fieri, non modò Plato hîc docet, sed Aristoteles etiam, ac cæteri philosophi. Siquidē ex unius interitu, alterius sequitur generatio, & uice uersa: quoniam, eadem semper materia permanente, diuersæ inducuntur formæ. Ac si commeatio ista humanæ generationis intermitteretur, atq; animæ omnes unà cum corporibus planè interirent, cunctæ tandem ad interitum laberentur, & ut Endymionis somnio, ita morte sepelirentur. Endymion autem, ut Poetæ fingunt, in Latmo, Cariæ monte, 40. annos obdormiuit: quemadmodum prouerbio etiam fertur, ac Cicero lib. 1. Tuscul. & Plinius lib. 9. cap. 2. referunt.

Iam quod de Anaxagora hîc fertur, in eum est sensum accipiendum, quòd si animæ omnes simul cum corporibus interirent, & confunderentur, non solum corpus, sed animæ etiam ex eadem essentia essent educendæ, facta secretione quadam partium infinita. Nam Anaxagoras, ut Aristoteles libro 1. Physic. refert, omnia putabat in confusa quadam substantia esse, ex eaq; generationē omniū, interitumq; fieri à mente siue Deo, secretione quadā partium: ut si ex eadem illa substantia particulæ diuersæ discernerentur, generatio alicuius rei fieret: si uerò illa in ipsam iterum dissolueretur, interitus. Itaq; omnia simul in eodem esse permixta dicebat. Cuius sententiam idem Aristot. refutat, recitatq; in Gorgia Socrates, aduersus Poli sententiam disputans. Cum igitur hæc fuerit Anaxagoræ sententia, ut omnia in eodem simul esse mixta putarit: meritò quidē Socrates illud eiusdem euenturum esse ait, si animæ, corporaq; in morte simul intereant, & in idem dissoluantur. Atqui hoc sanè modo prima Socratis ratio explicata sit: cuius conclusio ab eodem illo statim subiungitur, cum ait: Est certè ô Cebes maximè omnium ita, ut mihi uidetur: neq; nos hæc ipsa quasi decepti fatemur, sed uerè reuiuiscentia est, atq; ex mortuis uiuentes fiunt, mortuorumq; supersunt animæ: atque bonis melius est, malis uerò peius. *In qua conclusione, & ante corpora extitisse animos, & post illa extare affirmat, & bonis malisq; præmia constituta ac pœnas inquit.*

Atqui & secundum illud ô Socrates, inquit Cebes, quod frequenter usurpare soles, si modò uerum est, disciplinam uidelicet nostram nihil esse aliud quàm reminiscentiam: & secūdum hoc inquā, necesse est nos in superiori quodā tempore, ea quorum nunc reminiscimur, didicisse. Id uerò fieri non posset, nisi prius anima nostra fuisset alicubi, quàm in hanc humanam speciem deueniret. Quamobrem & hac ratione immortale quiddā anima uidetur esse. At quales huius rei demonstrationes, inquit Simmias, habes, ô Cebes? Commemora nobis eas. nō enim satis in præsentia memini. Vna quidem ratio est pulcherrima, inquit Cebes, quòd interrogati homines, si quis eos rectè interroget, ipsi omnia quemadmodū sunt respondent. Atqui nunquam id facere possent, nisi inesset ipsis sciētia, rectaq; ratio. Deinde si quis eos ad geometricas figuras, descriptionesq;, uel simile aliquid cōuerterit, ibi manifestè cōperiet id ita se habere. Si hæc ô Simmia ratio, inquit Socrates, tibi non satisfacit, attende an sic tibi consideranti idem quod nobis uideat. Diffidis enim eam, quam disciplinam uocant, reminiscentiam esse posse.

Haud equidē diffido, inquit Simmias. Verūtamē id expedit mihi discere, de quo sermo est, scilicet reminisci. Ac fermè ex his quæ Cebes cœpit dicere, iam recordor et credo. Nihilo minus tamen & à te ô Socrates, qua ratione id modò probare ipse aggrediebaris, perlibēter audirem.

Hac equidem ratione, inquit Socrates, confitemur sanè quodammodo, si quis alicuius reminiscatur, oportere ipsum prius aliquando id sciuisse. Prorsus, inquit Simmias. Nunquid ergo & hoc cōfitemur, inquit, quoties scientia hoc modo prouenit, reminiscentiam eam esse? Dico autē hoc pacto. Si quis aliud quiddam uiderit, uel audiuerit, uel alio perceperit sensu, neque solum idipsum cognoscat, uerùm etiam cognoscat aliud quiddam, cuius nō una eademq;, sed alia sciētia sit, nónne meritò dicemus, hunc eius rei reminisci, in cuius peruenerit notionem? Quónam pacto id dicis, inquit Simmias? Hoc, inquit Socrates.

tes. Alia quodãmodo hominis ſcientia eſt, alia lyræ. Quid ni, inquit Simmias. An ignoras hoc amantibus euenire, cum lyram aut ueſtem, aut quid aliud ex his aſpiciant, quibus uti eorum amatæ cõſueuerunt? Nam & agnoſcunt lyram, & ſimul mente formã recolũt puellę cuius erat lyra. Hoc uerò eſt reminiſci. Ceu ſi quis, cum Simmiam uiderit ſæpe, Cebetis recordetur, & cætera eiuſdem generis infinita. Infinita per Iouem, inquit Simmias. An nõ igitur, inquit, tale quiddam recordatio quædam eſt? Maximè uerò ſi id nobis in illis cõtingat rebus, quas longitudine temporis, & negligentia obliuioni iam tradiderimus? Ita certè, inquit Simmias. Quid uerò, inquit Socrates: Cõtingit'ne, ut qui equum pictum uiderit, pictamq; lyram, reminiſcatur hominis? Atque cum pictum aſpexerit Simmiam, ueniat illi in mentẽ & Cebes? Sic utiq;, inquit. Nónne euenit etiam, ut qui Simmiã inſpexerit pictũ, ipſius quoq; Simmiæ recordetur? Euenit certè. An non ſecundum hæc omnia contingit, tum à ſimilibus, tum à diſsimilibus reminiſcentiam prouenire? Contingit. Verùm quoties à ſimilibus quiſpiam reminiſcitur, an non neceſſe eſt id inſuper intelligere, utrum deficiat hoc ſecundum ſimilitudinẽ, nec'ne, ab illo cuius repetita memoria eſt? Neceſſe eſt. Attende ſanè, nunquid hæc ita ſe habeãt. dicimus aliquid eſſe æquale? non dico lignum ligno, neque lapidem lapidi, neque aliud eiuſmodi quicquam, ſed præter hæc omnia aliud quiddam æquale. ipſum dicimus'ne aliquid eſſe, an nihil? Dicimus per Iouem, & quidem mirificè.

An ſcimus & ipſum quod eſt æquale? Omnino quidem. Vndénam ſcientiam eius accepimus? An non ex his quæ modò diximus, uidelicet cõſpicati uel ligna, uel ſaxa, uel alia quædam æqualia, ex his illud excogitauimus, quod aliud eſt quàm hæc? An non aliud quiddam apparet? Conſidera uerò & hoc pacto. Nónne ſaxa, uel ligna æqualia, dum eadem ſunt, aliàs æqualia, aliàs inæqualia nobis apparẽt? Penitus.

Quid autẽ ipſa æqualia, poſſunt inæqualia tibi uideri? uel æqualitas, inæqualitas? Nunquam, ô Socrates. Quamobrẽ non idem ſunt hæc æqualia, atque ipſum æquale.

Nullo modo idem mihi apparent, ô Socrates. Veruntamen ab his æqualibus quæ alia ſunt quàm ipſum illud æquale, ipſius ſimul excogitaſti ſcientiam, atq; percepiſti. Veriſſima loqueris. An non ſiue ſimile ipſum ſit, ſiue diſsimile? Omnino.

Nihil ſanè refert. quatenus enim aliud cõſpicatus, ex hac ipſa perſpectione aliud intellexeris, ſiue ſimile, ſiue diſsimile, neceſſe eſt hinc reminiſcentiam prouenire. Et maximè quidem. Quid uerò ad id? An ſic nos habemus circa quæ ſunt in his quæ modò dicebamus æqualia, lignis, ſaxiſq; & alijs? Videtur'ne ita æqualia hæc eſſe, ut ipſum quod eſt æquale? an deeſſe potius aliquid, quo minus talia ſint quale eſt æquale ipſum, an nihil? Permultum certè deeſt. Nónne confitemur, quando quis aliquid intuens, animaduertat appetere quidẽ hoc quod in pręſentia uidet, eſſe tale quale quiddã aliud ex his quæ ſunt, uerum deficere, neq; poſſe tale eſſe æquale, quale ſit illud, ſed deterius eſſe, neceſſe eſſe eum qui animaduertit, antè cognouiſſe illud cui dicit hoc quodam modo ſimile fieri, ſed ad plenã ſimilitudinem non accedere? Neceſſe eſt. Quid ergo? tale'ne aliquid contingit & nobis, nec'ne? circa hæc æqualia, ipſumq; æquale? Quamplurimum. Neceſſe eſt ergo, nos æqualis ipſius ſcientiam ante illud tempus habuiſſe, in quo primùm uidentes æqualia, agnouimus conari quidem hæc omnia talia euadere quale eſt ipſum, attamen à perfectione ipſius abeſſe. Ita eſt. Atqui & hoc cõfitemur, nos neq; aliũde id agnouiſſe, neque agnoſcere poſſe, quàm

ex uisu, uel tactu, uel alio quodã sensu. similiter enim de his omnibus iudico. Similiter, ô Socrates, ad id se habent, de quo agitur, ostendendũ.

Atqui à sensibus quidẽ intellexisse oportet, omnia quæ subiecta sunt sensibus, illud quod est æquale appetere, quamuis ipsum nõ assequantur. an aliter dicimus? Haud aliter.

Antè enim quàm inciperemus uidere, aut audire, alijsq́ uti sensibus, oportuit nos æqualis ipsius scientiã possedisse, uidelicet quid ipsum sit: si modò æqualia hæc quæ sensib. subiacẽt, ad ipsum adeò relaturi simus, ut iudicemus anniti quidẽ hæc omnia talia quale ipsum est euadere, ueruntamen deteriora relinqui. Necessariò, inquit Simmias, ex superioribus id, ô Socrates, sequit̃. An non statim, inquit, nati uidimus, & audiuimus, aliosq́ sensus exercuimus?

Omnino. Oportuit autem, ut diximus, ante hæc ipsius æqualis scientiam habuisse. Oportuit. Quamobrem, ut uidetur, necesse est, antequam nasceremur, eam comprehendisse. Sic apparet. Nónne si eam sortiti ante natiuitatẽ ipsam iam habẽtes nati sumus, sciuimus et ante ortum, atque statim nati, non solum ipsum æquale maiusq́ & minus, uerumetiam eiusdem generis omnia? Nõ enim de æquali magis nunc nobis est sermo, quàm de ipso pulchro, de ipso bono, de ipso iusto atq́ sancto, &, ut dico, de omnibus quibus propriè hoc ipsum quod est assignamus, & interrogationibus interrogantes, & respõsionibus respondentes: ut necessariũ sit nos antequam nasceremur, horum omnium scientiam habuisse. Est ita. Ac si acceptis scientijs, non semper obliuisceremur, oporteret & cum ipsis nasci, semper etiam per omnem uitam scire. Nam scire id est, acceptam alicuius rei scientiam retinere, nec amisisse. An non obliuionem scientiæ iacturam esse dicimus? Ita prorsus, ô Socrates. Sin autem acceptã ante ortum scientiam, nati amisimus: deinde uerò freti sensibus circa ipsas scientias, illas quas antè habueramus, recipimus: nónne id quod discere appellamus, esset scientiã propriam recuperare: atq́ id reminisci nominantes, rectè nominaremus?

Rectè. Fieri enim id posse apparuit. Videlicet, ut cum quis aliquid senserit, uel uidendo uel audiendo, uel aliter sentiendo, aliud quiddam ex hoc agnoscat cuius erat oblitus, cui quidem hoc quodammodo propinquabat, siue simile sit id, siue dissimile. Ita quod iampridem dico, ẽ duobus alterum. Aut enim scientes nati sumus, scimusq́ per omnem uitam omnes: aut quos deinde dicimus discere, duntaxat reminiscũtur, atq́ disciplina reminiscẽtia est. Sic omnino se res habet, ô Socrates. Vtrum igit̃ eligis ô Simmia? uel cum scientia nos esse natos, uel reminisci postea quorum prius scientiam acceperimus? Ambigo, utrum in præsentia Socrates eligã. Quid uerò, potes'ne eligere quid de hoc uideatur tibi? Vir sciens potest'ne eorum quæ scit reddere rationem, an contrà? Necesse est, ô Socrates, posse.

An uerò tibi uidetur omnes rationem de his quę modò tractabamus, afferre posse. Optarem equidem. sed multo magis uereor ne cras nullus hic homo sit, qui pro dignitate id sciat efficere. Non igitur ô Simmia, putas omnes hoc intelligere?

Nullo modo. Reminiscuntur ergo quæ aliquando didicerant. Necesse est. Quando uerò acceperunt animę nostrę scientiam? Non enim, postquã homines nati sumus. Non certè. Ergo prius. Ita. Erant igitur, Simmia, animæ etiã prius quàm in humanã speciem deuenirent, seorsum à corpore, intelligentiamq́ habebant. Nisi fortè, ô Socrates, dum nasceremur, ipsas scientias acceperimus. Nam id etiam tempus reliquũ est. Esto sic ô amice. Sed quónam alio tempore eas amisimus? Non enim habentes iam eas, nascimur, ut modò confitebamur. An in eodem perdi-

perdidimus, quo & accepimus? an aliud tempus efferre potes? Nullo ô Socrates modo, sed nihil me dicere, minimè aduertebã. An ergo sic nobis se res habet, ô Simmia? Si quidem sunt ea quæ quotidie prædicamus, pulchrum scilicet quiddam atque bonum, & omnis eiusmodi essentia, ad quam omnia sensibus percepta referimus, quæ & prius erant nostra, & tanquam nostram quęrentes inuenimus, atq; ad ipsius exemplar referimus, necesse est ita ut & ipsa sunt, nostram quoque animam prius etiam quàm nasceremur, extitisse. At si hæc non sunt, frustra utiq; ratio hæc tractata esset. An nõ ita se habet: atq; par necessitas est, & ipsa esse, & animas nostras, antequã nasceremur: & nisi ipsa sunt, neq; hæc utiq; sunt. Mirificè, ô Socrates. Eadem mihi uidetur esse necessitas, atque pulcherrima huc ratio nos perducit, ut similiter tam animam nostram, quàm essentiam ipsam quam modò dicebas, antè quàm nasceremur, extitisse confiteamur. Nihil enim tam certum habeo, quàm esse eiusmodi omnia, et quidem maximè, scilicet pulchrum ipsum, & bonum, aliaq; omnia quæ tu modò dicebas. Et quantum ad me adtinet, satis est demonstratũ. Quid uerò uidetur Cebeti? Oportet enim illi quoque persuadere. Satis & illi arbitror persuasum, inquit Simmias: quamuis omnium repugnantissimus sit, & ad credendum tardissimus. Opinor tamen sufficiẽter illi probatum, ante ortum nostrum animam extitisse. An uerò post interitum nostrum etiam futura sit, nec mihi quidem ipsi, ô Socrates, satis adhuc uidetur ostensum.

Explicauimus breuiter primam Socratis rationem de immortalitate animorum: nunc, quia Cebes mentionem etiam fecit eius rationis, qua uti frequenter est solitus Socrates, quæ ex recordatione animi petitur: eandem subiungit superiori: tum quòd ex illa ipsa pendeat, tum quòd ad ipsam confirmandam pertineat. Huius autem rationis fundamentum est, quòd ex humanæ mentis notionibus, à natura insculptis, quas recordationes Plato uocat, animos ante corpus fuisse docet, indeq; eosdẽ immortales esse concludit. Sed antequam rationes has colligo, in primis uidendũ est, quæ sit hæc recordatio apud Platonẽ: tum, cur ex ea ille nostros animos doceat ante corpora extitisse: postremò, argumentum ipsum construamus. Recordatio Platoni, ut antè dixi, appellatur notio rei alicuius, à natura nobis ingenita, qua facilè quiduis percipimus. Cum enim ueris assentimur, falsa dijudicamus, ac rerum diuersarum formas ingenij dexteritate magna percipimus, eorundem recordari uidemur: quæ quidem mentis dexteritas Græcis tũ ἔννοια, tum πρόληψις, Latinis notio appellatur: estq; quasi lux quædã mentis, ad res percipiendas accõmoda, qua illustratus animus, solum natura duce, uel sine doctore multa cognoscit, ut Deum esse: uel res à magistris traditas facilè percipit. Atq; huiusmodi etiam notiones, ut Nemesius in lib. de Natura hominis ait, Plato uocat ἀνάμνησιν, id est recordationẽ superioris uitæ: quoniam, ut idem in Menone dicit, nihil aliud est nostra scientia, quàm recordatio quædã: & cum discimus, propter notiones illas nobis insitas reminisci uidemur. In eo igitur dialogo, Socrates puerum quendam interrogans de figuris Geometricis, quarum ille demonstrationi quasi à natura edoctus assentitur, scientiam nostram recordationem esse asserit, duabus de causis: prima, quòd rectè interroganti sæpe uerè respondeamus, in ijs quæ nunquam didicimus: secunda, quia ex eorum quæ sensibus percipiuntur cognitione, formam quandam siue ideam comprehẽdimus, quæ nostræ prius menti ueluti insculpta erat. Ex quo uult fieri, animos nostros ante corpora fuisse, quando tam subitò illi ex imperfectis perceptionibus perfectam rei notitiam tenere minimè possent. Atq; huiusmodi sanè rationibus Socrates tũ in Menone, tum in hoc dialogo, recordationẽ esse quandam superioris uitæ in animis nostris inquit: Idemq; apertius explicans Plotinus de sensu & memoria, illas inquit animi notiones accidentibus non esse similes, sed ueluti uires quasdam illi à natura insitas: cuius generis est imaginatio, intellectus, sensus. Ergo, notiones hæ naturales cum sint, si quando quid animus percipiat, imaginationis uires illas continuò in actum educit, tumq; recordari uidetur. Atque hæc est summa Platonis sententiæ, quæ uerior & religioni nostræ congruentior uidetur. Platonis autem rationem illam, quòd nostrum scire sit re-

cordari, Aristoteles libro primo Posteriorum Analyticorum refutat, cum ait, omnem nostram cognitionem & intelligentiam ex antecedenti fieri cognitione: quasi diceret, notiones quasdam naturales insitas nobis esse, quibus quiduis facilè percipiamus. Et quamuis à Platone hac in re dissentire ille uideatur: nulla tamē, si rem bene perspicias, dissensio est. nam quod Plato recordationem siue notiones nobis insitas uocat, Aristoteles antecedētem cognitionem nominat. ibiq; ille Platonem reprehendit, non quòd recordationem illam siue notitias insitas nobis esse dixerit: sed quia ex earundem recordatione scientiam oriri putauerit. Nam & libro 3. de Animo, cum intellectum nostrum ueluti tabulā, in qua nihil sit depictum, esse ait, easdem quoq; intelligibiles res esse docet: hoc est, notiones illas tanquam facultates, quibus facilè obiectas res poßit quis cōprehēdere. Quod Iamblichus & Philoponus interpretati, eandem esse Platonis & Aristotelis in hac parte sententiam affirmant: siquidem Aristoteles in intelligēte intellictiles res facultate inesse dicit: Plato uerò rationes rerum, & recordationem. Sed ad Platonis interpretationē redeamus. Cum ergo recordationem hanc nobis, ac notitiam rerum inesse Plato multis in locis, atq; in hoc dialogo dicat, quòd eandem in hac uita sensili comparari non posse putet, quando à nobis pueris & ignaris rerum omnia percipiātur, ante corpus inquit animam nostram extitisse: atq; id sanè non in hoc dialogo solùm confirmat, sed in Timæo etiam, Epinomide, aliisq; locis, ubi animū ante corpus extare, & ex diuina mente in corpus ipsum descendere affirmat. Cui etiam sententiæ Aristoteles lib. 2. & 4. de Generatione animal. ac lib. 3. de Animo, assentire uidetur, cum mentem nostram aliunde prouenire ait. Quo fit, ut ille ipse & animum à corpore separatum, & à Deo missum, atq; ante corpus editum, dicere cum Platone uideatur. His ita explicatis, ad Socratis rationem expendendam ueniamus. In ea igitur ille primò sciētiam nostrā recordationē esse probat, cum ait: Vna quidem ratio est pulcherrima, quòd interrogati homines, si quis eos interroget, ipsi omnia, quemadmodū sunt, respondēt: Tum argumentatione immortalitatem animi inde ducta concludit. Quoniam autem tota huius argumenti uis ex eius rationis, quòd nostra scientia sit recordatio, confirmatione pendet, eandem rationem Socrates inductione probat, cum ait: Hac equidem ratione, inquit Socrates, confitemur sanè quodammodo, si quis alicuius reminiscatur, oportere ipsum id prius aliquādo didicisse. Ratio autem ipsa sic habet. Recordatio est, rei oblitæ aliqua ex parte instauratio, cū quid in memoriam recolimus, quod elapsum penè fuerat: quæ ipsa nullo modo fieri potest, nisi eius rei quam recordamur, cognitio præcesserit. Eandem uerò recolimus uel similitudine quadam eius rei quam nouimus, uel dißimilitudine: ut cū Tusculanas quæstiones audio, Ciceronis recordor: uel cum Romam uideo, in Cæsaris recordationē uenio. Similitudo enim rei, uel dißimilitudo, memoriam renouare solet: quoquo modo tamen recordemur, nouisse prius nos, quæ recordamur, necesse est. Hoc statuto, ratio ita construitur. Cum quid uidemus, audimus, aut sensu aliquo percipimus, recordatio statim siue idea eiusdem in mentem uenit, quando uel alicui rei sponte assentimur, uel interroganti respondemus. atqui eius rei assensus, siue idea inesse nobis apparet, antequam per sensus rem cognoscamus: ergo et ante sensus perceptionem insita nobis cognitio fuit, cuius recordamur. Nam cum corpus aliquod æquale uel inæquale cernimus, quandam ideam statim æqualitatis uel inæqualitatis menti nostræ insitam intelligimus, per quam fit assensus. ergo idea illa ante rem sensu perceptam nobis erat: nec enim rem perfectam, imperfecta sensus perceptione cōtinuò comprehenderemus. Quòd si ergo id ita est, animum, cui notiones illæ sunt, ante corpus extitisse sequitur, ac propterea illum immortalem esse. Alterū enim de duobus sequitur necessariò ex superiori disputatione, cum alicui rei sensu perceptæ assentimur, uel sciētiam eius rei nos prius habuisse, & cum illa natos esse: uel recordari eiusdem penè obliteratæ: quocunq; autem modo id fit, animam ante corpus fuisse constat. Nam si postquam nati sumus, eam scientiam accepimus, igitur et notiones rerū simul cum sensuum apprehensione ingenerantur: quod contrà fit. aut si rursus, dum nasceremur, scientiam illam accepimus, quod Cebes subiicit: necesse est eodē tempore obliuisci nos perceptæ rei, cuius recordamur: siquidem comprehendendo res sensibus, impressam nobis notionem siue recordationē sentimus: quam nō sentiremus utiq;, si rem perceptā statim cognosceremus, notioq; illius nobis imprimeretur. Ita fit, ut cum idea illa rerum perceptarum quasi recordatio præcedētis cognitionis sit, eademq; iam inde ab ortu nobiscū sit nata: necessariò inde sequatur, animam, cui eadē notio inerat,

ante corpus fuisse. Hæc est totius argumenti Socratici summa, in qua ille solùm id contendit probare, animas ante corpus extitisse: quo demonstrato, immortalem esse animam concludit. Sed quoniam inter argumentandũ Socrates duo hæc attulit, quæ difficultatem parere possint: alterũ, quòd cognitionem nostram per sensus fieri putat, cum prius recordationem nostram esse scientiam dixerit: alterum, quòd animum nostrũ ueluti boni & pulchri ideam illam, ad quam omnia referuntur, esse inquit: ea quoq; nos breuiter exponamus. Cum scientiam nostram Plato ex recordatione, seu notionibus à natura nobis insitis fieri putet, eam postea recordationis scientiã fieri nõ posse contendit, nisi per sensus, cum ait: Atqui hoc fatemur, neq; nos aliunde id agnouisse, neque agnoscere posse, q̃ ex uisu, uel tactu, uel alio quodã sensu. Cuius rei sensus est, quòd quamuis notiones illæ præcedẽtis uitæ insculptæ nobis sint, minimè tamen educi in lucem possint, nisi sensuum perceptio fiat. Cum enim quid sensibus percipimus, statim notiones illæ quasi scintillæ incendun tur, mentemq; illustrant. Vnde Aristoteles libro 3. de Anima, nihil nos mente ait percipere, quin id prius sensu comprehendamus. Siquidem comprehensio illa mentis per sensus facta, quasi reuocatio quædam potestatis in actum est: quemadmodum edito in lucẽ puero, uisus, qui potestate prius in illo erat, in actũ postea reducitur. Qua etiam de causa Aristoteles lib. 3. de Anima, dum intellectum potestatis uocat, aptam illam rerum percipiendarum facultatem menti nostræ insitam, recordationem hanc à Socrate traditam intelligere uidetur. Nam cum intellectus ille potestatis nihil possit percipere, nisi sensuum functionibus intellectus agens utatur, fit, ut omnis nostra cognitio ex sensibus oriatur, quod lib. 1. de Prima philosophia idem ille docet: ita tamen, ut notiones animi illa sensuum perceptione quasi excitentur, & ut Plato hîc inquit, in memoriam reuocẽtur, propter similem sensuum perceptionem. Cum enim citharam uidemus, musicæ idea animo nostro insculpta in mentem uenit. His itaq; expositis, illud rursus uideamus, quod ait: Siquidem sunt illa, quæ quotidie prędicamus, pulchrum scilicet quiddam, atq; bonum, & omnis eiusmodi essentia.

Quoniam animũ nostrum ante corpus fuisse, Socrates ex recordatione nostra probauit, qualis nam idem ipse tunc fuerit, in his docet. Itaque similẽ fuisse eum inquit ideæ bonitatis, & pulchritudinis: hoc est, Deo artifici, antequam terreno corpori includeretur: id est, cum in primo erat uehiculo, in quo naturæ intellectilis fuerat omnino generatus, quemadmodũ Platonici omnes asserunt. Quo nomine similes etiam nos fieri Deo per contemplationem rerum intelligibilium, Plato sæpe dicit, quoniam ad pristinam animi nostri naturam intelligibilem reuocari tunc uideamur. Qua de re hæc satis: quando multa diximus, & dicemus suo loco. Atque huiusmodi ratione immortalitatis animorũ Socrates, de qua diximus, utitur in Menone, cum immortales esse illas ex eo uult, quòd rerum omnium ueritas in animo sit nostro, nostraq; omnis scientia superioris uitæ sit recordatio. Quam ipsam tum ex eo, tum ex hoc libro, Cicero lib. 1. Tusculanarum expressit.

Sed nunc etiam restat multorum dubitatio illa, quam in medium Cebes adduxerat, ne uidelicet homine moriẽte, simul anima dissipetur, atque ita esse desinat. quid enim prohibet fieri quidẽ illam, & aliunde constitui, atq; esse prius etiam quàm in corpus hominis laberet: postquam uerò ab eo discesserit, tunc illã insuper interire? Rectè loqueris Simmia, inquit Cebes. Videt enim quasi dimidium eius quod oportet probatum, ante uidelicet quàm nasceremur, nostram animã extitisse: oportere autem id quoq; ostẽdere, postquam mortui fuerimus, non minus fore, quàm esset antè quàm nasceremur, si modò finem suum demõstratio sit habitura. Demonstratũ quidem est, inquit Socrates, istud ô Simmia, & ô Cebes, etiã nunc: si modò uelitis, & id quod modò probatum est, & illud quod antè concesseramus, uidelicet omne uiuens ex mortuo fieri, in unũ connectere. Si enim est anima prius: & quum in hanc uenit uitam, fitq; homo, necesse est nõ aliunde eam quàm ex mortuis proficisci: cur nõ necessarium sit, ut etiam post mortẽ corporis maneat, quum oporteat ipsam ad hanc uitam reuerti? Demonstratũ igitur & nunc est, quod dicitur. Veruntamen uidemini tu atq; Simmias, cupere idem rursus diligentius pertractari: ac forsitan puerorũ more formidatis, ne re-

uerà corpore egredientem uentus dissoluat, atque dispergat, præsertim si uentis uehementius flantibus exeat. Ad hæc Cebes subridēs, tanquam nobis id formidantibus, inquit, ô Socrates, contrà persuadere conare. imò uerò non tanquam formidantibus nobis, sed fortè est inter nos puer aliquis talia metuens: huic ergo annitamur persuadere, ne mortem ceu laruas pertimescat. Oportet certè, inquit, huic mederi carminibus quotidie, quoad sanus efficiatur. Sed ubi'nam, inquit Cebes, medicum eiusmodi nanciscemur, ô Socrates, quum tu decesseris? Ampla est, inquit, ô Cebes, Græcia, in qua sunt uiri præstantes: quàmplurimæ sunt barbaræ nationes: per has omnes eiusmodi medicum debetis perquirere, neque pecunijs parcentes, neque laboribus. Nihil est enim pro quo cōmodius omnia quis expendat. Perscrutandum quoque est etiam inter uosiipsos. fortè enim nō facilè inuenietis, qui melius quàm uos id queat efficere. Fiet quidem, inquit Cebes: sed redeamus iam, si tibi placet, unde digressi sumus.

Mihi quidē placet, inquit. Quid enim prohibet? Rectè respondes, inquit Cebes. An nō tale aliquid, inquit, à nobisipsis sciscitari debemus? Cui'nam, & quali conueniat ea passio, per quam dissolui possit. Et cui qualiq; sit metuendum, ne id patiatur. Et secundum quam qualemq; eius partem: deinde considerare cuiusmodi anima sit: demum ex ex his animæ nostræ gratia uel confidere, uel timere. Vera loqueris, inquit. Nonne igitur ei quod componitur, iamq; compositum est, natura id pati cōuenit, ut quatenus est compositum, dissoluatur? Siquid uerò non sit compositum, huic soli potissimum nulla accidit dissolutio?

Mihi quidē sic apparet, inquit Cebes. An non quæ semper secundū eadem, eodemq; modo se habent, inquit, hæc maximè esse conuenit simplicia? quæ uerò aliàs aliter, nec unquam secundum eadem, hæc esse composita? Ita equidem opinor.

Redeamus iam ad illa, ad quę in superiori disputatione processimus. Ipsa essentia, cuius interrogādo respondēdoq; definitionē hoc ipsum quod est assignauimus, utrum eodem modo, & secundum eadem se semper habet? an aliàs aliter? uidelicet & ipsum æquale, ipsum pulchrum, ipsum unumquodq; quod est ens, utrum mutationem aliquādo aliquam ipsa recipiunt, an ipsorum unumquodq; semper id quod est uniforme existens ipsum per se ipsum, eodem modo & secundū eadem se habet, neq; unquam, neq; usquam, nec ullo pacto mutationē aliquam suscipit? Necesse est ô Socrates hæc, inquit Cebes, eodē modo, & secūdum eadem se semper habere. Quid autē dicemus de multis, inquit, quæ similiter pulchra dicuntur, scilicet hominibus, equis, uestibus, uel alijs quibuscunq; talibus, quæ uel pulchra dicunt, uel æqualia, uel etiam de omnibus quæ illis synonyma sunt? num hæc secundū eadem se semper habēt? An potius omnino contrà quàm illa, uidelicet neq; ipsa sibimet, neq; inuicem unquam, ut simpliciter loquar, ullo pacto secundū eadem, eodemq; modo se habent? Hæc ô Socrates, inquit Cebes, nunquā eodem modo sunt.

Et hæc quidem tangi, uideri, alijsq; sensibus attingi possunt. Quę uerò semper secundum eadem permanent, sola intelligentiæ ratione percipiuntur: suntq; inuisibilia quæ talia sunt, neq; cernuntur unquam.

Vera omnino loqueris, inquit. Vis ergo duas rerum species ponamus, alteram uisibilium, inuisibiliū alteram? Ponamus, inquit. Et inuisibile quidem modo semper eodē esse, uisibile uerò nonnunquam eodem? Hoc quoq; ponamus, inquit.

Age iam, aliud'ne in nobis est, q̃ hinc quidem corpus, inde uerò anima? Nihil aliud, inquit. Vtri'nam speciei corpus esse similius cognatiusq;

tiusq; dicimus? Nemini dubium, inquit, quin uisibili. Quid uerò anima? Visibilene aliquid est, an cõtrà? Non hominibus quidẽ ô Socrates, inquit. Atqui nos de ijs duntaxat quæ ab hominum natura uideri uel nõ uideri possunt, loquebamur. An de ijs quæ ad aliam naturã spectant, tractabamus? De ijs duntaxat quę ad humanã, inquit. Quid ergo de anima dicebamus? Nunquid uisibilẽ esse? Non uisibilem.

Inuisibilem ergo? Ita. Anima igitur inuisibili speciei similior est quàm corpus: corpus uerò uisibili. Necessarium id est omnino. An nõ & hoc euenire, in superioribus dicebamus. Vt cum anima ad aliquid considerandum socium sibi corpus assumit, uel per uisum, uel per auditum, uel per alium sensum: hoc enim est per corpus cõsiderare, quia per sensus id agitur: tunc quidem à corpore trahatur ad ea quæ nunquam eodem modo sunt, atque ipsa aberret, perturbeturq;, quasi ebria uacillet, utpote quæ talia quædam attigerit.

Prorsus. At uerò quoties ipse animus per seipsum excogitat, illuc se confert ad purum, sempiternum, immortale, semper eodem modo se habens: & tanquam ipsius cognatus semper inhæret illi, quoties ipse redierit in seipsum, eiq; liceat, cessetq; ab errore: & circa illa semper secundum eadem eodem modo se habet, utpote qui talia iam attigerit. Atq; hæc eius affectio, sapientia siue prudentia nominatur. Præclarè, inquit, ac uerè omnino loqueris ô Socrates. Vtri igitur speciei rursus tibi uidetur, ex his quæ & in superioribus & modò dicta sunt, anima esse similior atque cognatior? Arbitror equidem ô Socrates, quemlibet, inquit, uel indocilem prorsus, & pertinacem, ex hac discursione concessurum, animam & per totum atque per omne, similiorẽ esse ei quod semper eodem modo est, quàm opposito. Quid autẽ corpus? Alteri speciei. Considera rursus hoc pacto.

Quamdiu in eodem sunt anima atque corpus, hoc quidem seruire atque subesse natura iubet, hanc uerò pręesse atque dominari. Secundum hæc rursus, utrum tibi uidetur simile esse diuino, utrũ mortali? An non putas diuinum quidem tale esse natura, ut præsit & ducat: mortale uerò, ut subijciatur ac seruiat? Puto equidem. Vtri igitur horum est anima similis? Constat ô Socrates, animam quidem similem esse diuino, corpus uerò mortali. Animaduerte iam ô Cebes, num hæc ex omnibus quæ dicta sunt, consequantur.

Videlicet ipsi diuino, immortali, intelligibili, uniformi, indissolubili, semper eodem modo & secundum eadem seipsum habenti, animam esse simillimam: humano uerò, mortali, nec intelligibili, multiformi, dissolubili, nunquam eodem modo sibimet se habenti, simillimum esse corpus. Possumus'ne ô amice Cebes, hæc pręter, aliud quicquam afferre, quo minus ita sit? Non possumus.

Quid ergo? Cum hæc ita se habeant, nónne corpori conuenit, ut breui soluatur? Animæ uerò, ut omnino indissolubilis sit, uel aliquid rei omnino indissolubili ꝓpinquũ? Quid ni? Cernis igitur, postquã mortuus homo fuerit, quod in eo uisibile est corpus, & in loco uisibili positũ, quod cadauer appellamus, cui conuenit ut dissoluatur, concidat, diffluat, nihil horum subitò pati, sed multum aliquãdo tempus superesse, si quis corpore perbellè affecto decesserit. Corpus enim seruatum, & rebus quibusdam ad durationem curatũ, quemadmodũ in Aegypto faciũt, incredibile quoddam tempus fermè integrũ manet. Quinetiam si putrescat, tamen nonnullæ corporis partes, ossa uidelicet, neruiq; atque similia, ut ita dicã, immortalia permanẽt. An nõ? Ita. Anima uerò quæ inuisibile quiddã est, in similem quendam aliumq; locum migrans, excellentem, purum, inuisibilem, nobis occultum, reuerà ad

rà ad bonũ sapiẽtemq; Deum, quò si Deus uoluerit, paulo pòst meo quoque animo est migrandum: anima inquam talis, taliq; natura prædita, nunquid cum primùm à corpore liberata fuerit, dissipabitur atq; interibit, ut multi putant? Permultum abest ô dilecte Cebes atq; Simmia. imò multo magis ita se res habet, si quidem pura discesserit, corporeum nil secum trahens, utpote quæ sua cum illo inuita cõmunicauerit, sed fugerit illud semper, seq; in se collegerit tanquam semper id meditata: quod quidẽ nihil est aliud quàm rectè philosophari, mortemq; reuerà facilè cõmentari. an non hæc est meditatio mortis? Est omnino.

Anima, inquã, si sic affecta discesserit, non'ne ad aliquid sibi simile diuinum abit? diuinum, & immortale, & sapiens? quò cum peruenerit, euadit felix, ab errore, dementia, timoribus, durisq; amoribus, cæterisq; humanis liberata malis: & quẽadmodum de initiatis dici solet, reuerà reliquum tempus uitam cum dijs agit? Ita'ne dicendum est ô Cebes, an aliter? Ita per Iouẽ, inquit Cebes. Sin autẽ polluta impuraq; decedat, utpote quę corpus semper amplexa, ipsum duntaxat coluerit, & amauerit, eiusq; uoluptatibus et libidinibus quasi ueneficijs quibusdam delinita fuerit, & usqueadeò capta, ut nihil aliud putet esse uerum, nisi quod corporeum sit, quod tangi, quod uideri possit, quod'ue bibat, & q̃d edat, & quo in uenereis utatur: quod uerò oculis quidẽ occultum et inuisibile sit, ueruntamen intelligibile, & philosophia cõprehendendum, habere odio consueuerit, tremereq; et fugere: sic, inquã, institutam animam, putas'ne ipsam per se syncerã euadere? Nullo modo, inquit. Sed infectã, inuolutãq;, ut arbitror, contagione corporea, q̃ consuetudo cõgressusq; cum corpore propter cõtinuã familiaritatẽ, plurimumq; eius cultũ effecit quasi cõgenitã? Ita putamus. Põderosum uero, ô amice, id putandũ est, & graue, terrenumq;, et uisibile, quod anima eiusmodi secum trahit: ideoq; ab eo grauatur, & ad uisibilẽ trahitur locum metu inuisibilis, atque occulti: & quemadmodũ fertur, circa monumenta sepulchraq; uersatur, circa quæ iam nonnulla apparuerunt animarum umbrosa phantasmata, qualia præferunt simulachra tales animæ, quæ uidelicet non puræ decesserunt à corpore, sed uisibile aliquid trahẽtes: quo fit, ut uideri possint. Consentaneũ est, ô Socrates. Consentaneum tamen, ô Cebes, nõ esse has bonorum animas, sed malorũ, quæ circa hæc oberrare coguntur, pœnas dantes uitæ improbè actæ. Itaq; tam diu circumuagãtur, quoad cupiditate naturæ corporeæ comitante, rursus induant corpus. Induũt autem, ut decens est, eiusmodi mores, quales in uita exercuerũt. Quales dicis mores, ô Socrates? Eiusmodi. Eos quidẽ qui uentri dediti, per inertiam atq; lasciuiam uitam egerunt, neq; quicquam pensi pudorisq; habuerunt, decẽs est asinos similiaq; subire. An nõ putas? Consentanea loqueris. Qui uerò iniurias, tyrãnides, rapinas, præ cæteris secuti sunt: in luporum, accipitrum, miluorum genera par est pertransire. num aliò has migrare dicẽdum est? Ita potissimũ, inquit Cebes. Similiter & in cæteris. abeunt enim in genera quælibet, quibus in uita mores similes cõtraxerũt. Manifestũ id quidem. Nónne horum felicissimi sunt, & in optimum proficiscuntur locum, quicunq; popularem ciuilemq; uirtutẽ, quam temperantiã & iustitiã nominant, exercuere absq; philosophia quidem atque mente, sed ex consuetudine exercitationeq; acquisitã? Quónã pacto hi felicicissimi sunt? Quoniã decẽs est hos in tale quoddã genus iterum ciuile miteq; demigrare quodammodo, apum, aut uesparũ, aut formicarum: atque deinde in idem rursus genus humanum, mode

stosq; ex illis homines fieri. Ita decet. In deorũ uerò genus nulli fas est peruenire, prĕter eos qui discẽdi cupiditate flagrantes, et philosophati sunt, & puri penitus discesserunt. Horum quidem gratia, ô amice Simmia atque Cebes, qui rectè philosophant̃, ab omnibus corporis cupiditatibus abstinẽt, atq; ita perseuerãt, nec se illis unquam tradunt, neq; familiæ iacturam paupertatemq; formidant, quemadmodum multi pecuniarum cupidi: neq; rursus contemptum atq; ignominiã, quemadmodum qui magistratus ambiũt, & honores, deinde ab his abstinẽt. Neque enim deceret ô Socrates. Non per Iouem. Quamobrẽ hi qui animum suum colunt, neq; corpori fingendo uiuunt, spretis his omnibus, haudquaquã ea gradiunt̃ uia qua superiores illi quos narrauimus, qua uidelicet quò proficiscantur ignorent. Ipsi uerò existimantes philosophiæ, eiusq; solutioni repugnãdum non esse, hanc ea sequuntur uia qua eos ipsa ducit. Quónam pacto ô Socrates? Dicam equidem. Cognoscũt profectò uiri scientię cupidi, quemadmodum eorum animam suscipit reuera ligatam in corpore, atq; implicitam, ac per ipsum quasi per carcerem quendam res considerare coactam: cumq; per seipsam id non faciat, omni prorsus inscitia inuolutã: cognoscunt præterea, quemadmodum philosophia perspiciens quàm callidè corporeum uinculum astringat animam, quippe cum per ipsam fiat concupiscentiam, per quã deuinctus animus adiutor sit ad seipsum deuinciendum: cognoscũt inquam uiri sciẽtiæ cupidi, quemadmodum philosophia eorum animam ita constitutã suscipiens, paulatim instruit, soluereq; aggredit̃, ostendens quàm fallax oculorum, quàm fallax auriũ, cæterorumq; sensuum sit iudicium: suadens, ab his discedere, quatenus hęrere illis summa non cogat necessitas, seq; in seipsam reuocare atque colligere: nec ulli credere pręterquã sibi, quatenus uidelicet ipsa per seipsam intelligat quodlibet eorum quę sunt, existẽs per seipsum. Quod uerò ipsa per alia cõsideret, existens in alijs aliud, nihil existimare uerũ: esse uerò eiusmodi quidẽ sensibile atq; uisibile: quod autem ipsa se consideret, intelligibile atq; inuisibile. Huic ergo solutioni ueri philosophi animus repugnandũ non esse iudicans, sic à uoluptatibus, cupiditatibus, doloribus, timoribus, pro uiribus abstinet, iudicans quando quis uehementer delectetur, uel metuat, uel doleat, aut cupiat, haud tantũ ab his duntaxat pati malum, quantum quis forsan existimarit, uidelicet si propter cõcupiscentias uel ægrotet quispiam, uel pecunias consumpserit: sed quod malorum omnium maximum, extremum, turpissimum est perpeti, neq; tamẽ illud animaduertere. Quid'nam hoc ô Socrates est? inquit Cebes. Quod uidelicet omnis anima cogitur delectari, uel dolere circa aliquid uehementer, simulq; putare illud circa quod hoc maximè patitur, manifestissimũ esse atq; uerissimũ, cum longè sit secus. Hæc autem maximè sunt quæ uisibilia sunt. nónne? Omnino. An nõ in hac passione anima quàm maximè ligatur à corpore? Quónam pacto? Quoniam omnis uoluptas atq; dolor, quasi clauum tenens, animã corpori affigit, atq; connectit, efficitq; corpoream adeò, ut iam opinetur ea esse uerè quæ suadeat corpus: nempe ex eo quòd eadem opinetur cum corpore, eisdemq; oblectetur. cogitur, ut puto, eiusdem moris, eiusdemq; alimoniæ fieri: ut nunquam possit pura in uitam alteram proficisci, sed semper plena corporis labe egrediatur. ideoq; citò cadat rursus in aliud corpus, & quasi sata iterum innascatur, atq; propterea à cõmercio diuinę, purę, uniformis essentiæ aliena prorsus euadat. Verissima, inquit Cebes, narras ô Socrates. Horum igit̃ gratia ô Cebes, iusti scientiæ studiosi, temperantiã, fortitudi-

nemq; sequūtur: non autem illorū, quorū gratia censet uulgus. An tu putas? Minimè quidem. Non certè. Sed ita ueri philosophi animus cogitaret, nec ullo modo arbitraretur, cum ipsum philosophia soluisset, oportere iterum uoluptatibus doloribusq; se dedere, iterumq; uinciri, atq; irritum opus facere, quasi telam Penelopes retexentē. Imò uerò horum tranquillitati studēs, sequensq; rationē, ac semper in ea permanens, uerum, & diuinum, opinionemq; supereminens cōtemplatur: à quo nutritus, ita uiuēdum censet quamdiu uiuat, atq; sperat se ubi decesserit in cognatū atq; tale migrantem, ab humanis eximi malis. Ex huiusmodi quidem educatione non est cur metuat, ô Simmia & Cebes, ne cū recedat à corpore, distrahatur & dissipetur, omnisq; in uentos uita recedat, & supersit nihil quicquam.

Explicatis duabus rationibus, quibus Socrates animā probauit ante corpus extare, quia nondum satis eiusdem immortalitas confirmata uidebatur, cum eandē post corporis obitū esse etiam non probarit: illud nunc Simmias & Cebes obijciunt, Num possit quidem animus ante corpus esse, minimè tamen, extincto animali, remanere. Cui obiectioni antequam respondeat Socrates, ironica quadam usus digressione, illos irridet, quòd tanto mortis metu nō facilè persuadeantur, ut credant immortales esse animas. Cum autem ad propositum redit, eius obiectionis addit solutionem ijs uerbis: An non tale aliquid à nobis ipsis percontari debemus, cui'nam, & quali conueniat ea passio, per quā dissolui posit? *Ratio hîc adducta sic habet: Omne compositū dissolubile est: quia multis, diuersisq; ex partibus cōstat. rursus omne simplex & unum dissolui nō potest, atqui anima est semper simplex secundum eadem, et eodem modo: igitur dissolui non potest. Confirmatur hoc: Quia omnia intellectilia, ut idea ipsa boni & pulchri, ac Deus, & anima, eodem se modo semper habeant, nullamq; sui unquam mutationem sentiant: contrà uerò sensilia, ut equus, uestis, atq; adeò omnia cōposita, mutationi sint obnoxia. Idem astruitur rursus hoc modo: Quæcunq; cerni possunt, cōposita sunt: nihil enim simplex sensibus percipitur. itemq;, Quidquid aspectum fugit, simplex est. at animus nec cerni, nec ullo demum alio sensu capi potest: ergo simplex est, ac proinde indissolubilis. At, quia huic rationi obstat illud, esse quidem animum ipsum partim uisibilem, partim inuisibilem, propter corporis connexionem: id quoq; diluens Socrates, inquit: Suapte natura inuisibilem esse animum, id quod ex eius dissolutione à corpore per contemplationem ac somnia perspicuū est: corpori uerò ipsum annexum, ex intellectili sensilem fieri quodammodo, nihilq; nisi per sensus capere, quoniam corpori immersus uelut inebrietur, suoq; munere uti nesciat. Quibus ex rebus sequitur, ut, cum simplex sit animus, & inuisibilis, natura sua intellectilis, à corporea mixtione alienus, diuinoq; similis, et corpori dominans, immortalis esse dicatur. Atq; huiusmodi sanè argumenti conclusionem ipsemet Socrates colligit in ijs uerbis:* Animaduerte iam ô Cebes, num hæc ex omnibus quæ dicta sunt, consequantur: uidelicet, ipsi diuino, immortali, intelligibili, uniformi, indissolubili, semper eodem modo & secundum idem se habent animam esse simillimam. *Quo in loco, corpus, utpote compositum, natura sua dissolui, quamuis diu arte aliqua seruetur, ut apud Aegyptios: animum uerò semper, ut simplicem, permanere docet. Verumtamen argumento Socratis ita examinato, restat illud explicandum, quod idem de animorum conditione post uitam hanc refert, hoc modo:* Anima uerò, quæ inuisibile quiddam est, in similem quendam, aliumq; locum migrans, excellentem, purum, inuisibilem, nobis occultum, reuera ad bonū, sapientemq; Deum: quò, si Deus uoluerit, paulò pòst meo quoque animo migrandum est. *Hîc Socrates præmia purgatorum animorum, ac pœnas inquinatorum in futura uita commemorat: philosophosq; ad uirtutem, ueramq; philosophiā hortatur, quòd eorum animi per philosophiam purgentur. Hoc ille copiose hoc in sermone docet, quousq; Simmias & Cebes dubitationes alias de animorum essentia eidem opponant. Sed ut nos omnia instituto ordine declaremus, dicamus primò, qui sint purgati animi, & qui impuri, cur'ue alij ad intellectilem locū migrare, alij ad sensilem & impurum dicantur: secundò, cur impuros animos circa sepulchra post mortem uersari, in uariasq; belluarum formas degenerare dicat: tertiò, cur philosophi purgati sint, & ad in-*

intellectilem locum, id est, ad Deum efferantur.

Animos omnes, antequam in corpus descendant, Plato in Timæo, ac Plotinus in libro de Descensu animorũ in corpora, intellectilis naturæ, ac simplicis fuisse referũt: postea uerò ipsos, cum in corpora delabantur, sensilem naturam sortiri, propter corporis connexionem, qua uelut immerguntur, & inebriantur. Vnde qui se nimium in hac uita animali corporeis rebus tradiderint, illos contagione corporis infici, polluiq; post mortem dicunt: eos uerò qui adhuc in corpore uiuentes, ab eodem se remouerint, ad intellectilẽ suam naturam conuersi, purgatos corporeis sordibus esse, sicq; post mortem etiam remanere. Huiusmodi etiam Plato purgationẽ dixit philosophia, id est, mortis meditatione cõparari: cum de philosopho, & eius officio loqueretur. Nunc uideamus, cur animi purgati purum ad locum, impuri ad impurum mitti dicantur. Quoniam inter uirtutis quatuor illa genera ex Plotino adducta, purgati etiam animi uirtutes retulimus, easq; pacati & tranquilli hominis, omniq; affectu uacui proprias diximus: per has nos fœlicitatem assequi post mortem, Platonici omnes affirmãt. Ii enim summum illud bonum, quod animis purgatis proponitur, non in hac uita corporea, sed in futura constituunt: quemadmodum et deprauatis animis pœnas statutas dicunt, quòd eo tempore illi purgati planè incorporei, diuinæq; naturæ similes fiãt, ut in lib. de Pulchritudine refert Plotinus, et eodẽ apertius in Epinomide Plato, cũ beatitudinem ait non in hac uita, sed in futura bonos expectare. Idem confirmans Axiochus apud Xenocratem, mortem esse ait transitũ quendam ad immortalitatem, ac sinceriorem bonorũ perceptionem. Quin et lib. 12. de Legib. Socrates credendum ait esse legumlatori, qui animam à corpore differre, uitæq; huius corporeæ causam esse dicat. Ex quo intelligitur, illam esse immortalẽ, atq; ad alios Deos proficisci, rationem factorum suorum reddituram: in quo bonis confidendum esse multum, malis uerò formidandum, inquit.

Vbiq; igitur Plato reddituros ait omnes post mortem uitæ suæ rationem: ac bonos et purgatos animos ad cõuenientẽ sibi locũ, id est, ad Deum euolaturos: improbos & pollutos, contagionem omnem corporis apud inferos purgaturos, indéq; ad hanc uitam redituros. Quod ipsum nunc Socrates referens, purgatos inquit animos in locum sibi congruentem, id est, ad superos: impuros ad squallidum, id est, tartara mittendos esse. Atq; hac de re satis: ad illud quod est secundò positũ, ueniamus. Improborũ animos uaria in belluarũ corpora migrare, nõ solum hoc in dialogo Plato refert, sed in Timæo etiam, cum ex timidis uiris fœminas, ex rudibus quadrupedes, ex alijs demũ aliorum animantium formas oriri ait. Quæ quidem sententia à Pythagora primùm allata, confirmataq; postea à Platone, magnam multis difficultatem peperit. Alij enim, re ipsa hominum animos propter flagitia in brutorũ corpora migrare putant: alij contrà, non quidem ipsas animas putant migrare, sed similes mores harũ belluarum ingenijs induere. Vetus autem Pythagoreorum, Platonisq; opinio est, animas hominum uerè in belluarum naturam abire, ob delictorum pœnã: ut qui furiosi extiterint, in leones mutentur: qui rapaces, in lupos: qui uoluptarij, in porcos. Plotinus etiã, auctor grauis, et magnæ inter Platonicos auctoritatis, in lib. De dæmone proprio, manifestè asserit, animas hominum belluarũ corpora aliquando induere. Itemq; Cronius Platonicus in lib. de Iterata generatione: Theodorus quoq;, & alij permulti: quos nunc taceo, ne longior sim. Quod autem Pythagorei atq; Plato id senserint, inde patet, quòd easdem esse omnium animalium animas putant: & dum uniuersè immortalitatem animi tuentur, eas asserunt rationes, quæ ad omnium animalium animas unà pertineant: id quod easdem consideranti perspicuum erit, atq; etiam Iustinus martyr contra Tryphonem confirmat. Assentitur his Lactantius Firmianus in lib. de Falsa sapientia, cum Pythagoreorum hac de re sententiam recitat, ac refellit. Adde, quòd Plutarchus in lib. An bruta animalia ratione utantur, & Apuleius in Metamorphosi sua, idem sensisse uidentur: atq; ipsemet Plutarchus lib. 5. de Placit. philosoph. cap. 2. Platoni eandem, et Pythagoræ, ascribit sententiã. Eadem in sententia est Porphyrius in lib. de Abstinentia animaliũ. Augustinus lib. 10. de Ciuitate Dei, cap. 30. & Basilius in Hexameron, hoc Platoni apertè adscribunt. Quo fit, ut qui hanc Platonis opinionem ad allegorias detorquere uelint, ab eius sentẽtia longissimè discedãt, nec satis quid ille intellexerit assequatur. Sed iam ad tertiũ ueniamus illud, cur Plato dicat, philosophorum animos ad intellectilẽ locũ euolare. Verus philosophus, ut suprà dicebamus, et in Epinomide Socrates refert, à rebus corporeis sese debet auocare, mortemq; corporis expetere, ut animo uiuat per cõtemplationẽ: fuga enim à rebus corporeis, ut in Theæteto Plato inquit, est similẽ Deo fieri. Cũ ergo uerus philosophus animũ purgatũ uel hac in

uita habeat, & uera philosophia purgatio animi sit, in eoq; uera existat fœlicitas: longè certè facilius fœlicitatē post hanc uitā assequetur, cum eandem corpore uiuens quasi iam antè cœperit degustare. Hanc ob causam in Apologia Socrates ait, libenter subire se mortem, quòd eam esse certissimam fœlicitatis suæ uiam noscat. Fœlicitatem autem hominis Plato in cōtemplatione Dei posuit: id quod ex eius Philebo patet, atq; etiam Plotinus in lib. de Beatitudine, et Iamblichus in lib. de Mysterijs Aegyptiorum referunt. Quibus cum Aristoteles lib. 10. Ethic. quodammodo conuenire uidetur, cum ueram fœlicitatem in contemplatione ponit, eamq; propriam hominis esse dicit, quòd nullum aliud animal capax fœlicitatis sit. Ex his, quæ hactenus dixit, omnibus Socrates demum concludit, sapientem uerum, siue philosophū, mortem hanc corporis, quam diximus, maximè optare debere: itemq; affectus cohibere, animumq; à corporis uinculo ad diuinarum rerum contemplationem erigere, in ijs uerbis. Dicā equidē: cognoscūt profectò uiri scientię cupidi, quemadmodum eorum animā suscipit uerè corpori ligatam. *Quo in loco, philosophi officio proposito, docet nos, animum quidem, qui corpori sit alligatus, per philosophiam ab eo segregandū: ut inde ipse intelligat, quàm sit prauis affectib. animus obnoxius, quandiu immersus est corpori: quamq; nihil intelligat, nihil'que certò percipiat, ni se ab hac admixtione corporea remouerit. Philosophādo enim animus omnes affectus componit, naturā suam agnoscit, sensuum errores corrigit, intelligibilia cogitat, ueram deniq; mortem corporis expetit, et consectatur. Illud præterea, quod hic Cebes ait, de corporis & animi connexione,* Quid'nā hoc ô Socrates est, ꝙ uidelicet omnis anima hominis cogit̃ delectari uel dolere de re aliqua uehemēti: *sic intelligendū uidetur: ut, quoniā anima per se intelligibilis sit, nullis per se affectibus subijciatur, nisi quatenus est corpori annexa. Siquidē, Plotino auctore in li. Quid homo et quid animal, affectuū radices neq; in anima separata sunt, nec in ipso corpore, sed in utroq;: hoc est, in ipso animali. Quatenus'enim animus uitam corpori præbet, atq; hoc rursus animatū est, multis cōmouetur affectionibus, ipsamq; mentē unà perturbat, quæ sympathia quadā à corpore iā animato illas persentit. Hinc fit, ut propensio cuiusq; uel ad iram uel libidinē, uel ad aliam quancūq; affectionem, in hominis ipsius potestate non sit: id quod hoc loco Cebes intelligit, cum omnem inquit hominis animam coactam delectari aut dolere: siquidem animus ipse corpoream temperationem sequutus, hoc assequitur. In hunc etiam sensum fortasse illud Platonis è lib. 5. de Legibus Timæo, accipi commodè poßit, dicentis, neminem sponte malum fieri: quando affectus ipsi nostros iam excitatos & exultantes ratione tenere possumus, radices & propensiones non possumus. Cum ergo animus à corpore perturbationum omnium habeat originem, quandiu se is corpori nimium dediderit, impurus sit maximè: quandiu uerò ab eodem se abduxerit, purus, ac sapiens. Atqui hæc sanè ad intelligentiā huius loci satis.*

Cum hæc Socrates dixisset, longum factum est silentiū. & ipse quidem Socrates, quæ dicta fuerant secum, ut uidebat̃, repetebat: idemq; pleriq; nostrûm faciebāt. Cebes autem & Simmias parumper insuper inuicē collocuti sunt. Hos ergo intuitus Socrates: Quid'nam uobis, inquit, de his quæ dicta sunt, uidetur? An fortè aliquid insuper in his desideratis? Multæ enim adhuc dubitationes, obiectiōesq; supersunt, si quis sufficiēter ea sit tractaturus. Si igitur aliud quiddā inter uos agitatis, nihil dico: sin autem in his quę dicta sunt hæsitatis, ne uereamini loqui atque percurrere, si qua in parte putatis melius dici posse. Quin etiā socium me assumite, si mecū id commodius fieri posse existimatis. Verum equidem, inquit Simmias, tibi ô Socrates, fatebor. Iamdudum ambigens uterq; nostrûm impellit alterū, iubetq; interrogare, propter audiendi cupiditatē. Veremur autem ne id tibi ob præsentē calamitatem rogitādo, simus molestiores. Hæc Socrates audiens, leniter arrisit, dicens: Papæ ô Simmia, quàm difficile alijs persuaderem, hanc me fortunam haudquaquā aduersam existimare, quando ne uobis quidē id persuadere possum. quippe cum me tuatis, ne difficilior mœstiorq; sim in præsentia, quàm in superiori fuerim uita. Atq;, ut apparet, deterior cygnis ad diuinādum uobis esse uideor. Illi quidem, quando se breui præsentiunt

præsentiunt morituros, tunc magis admodum dulciusq; canunt, quàm antea consueuerint, cõgratulantes quòd ad Deum sint, cuius erant famuli, iam migraturi. Homines uerò, cum ipsi mortẽ expauescant, cygnos quoq; falso criminãtur, quòd lugentes mortem, ob dolorem cantum emittant. Profectò haud animaduertunt, nullam esse auem quæ cantet, quãdo esuriat, aut rigeat, aut quouis alio afficiatur incommodo. Non ipsa philomela, nec hirundo, nec epops, quas ferũt per querimoniã cãtare lugẽtes. At mihi neq; hæ aues præ dolore uidenẽ canere, neq; cygni: sed quia Phœbo sacri sunt, ut arbitror, diuinatione præditi præsagiunt alterius uitę bona: ideoq; cantant alacrius, gestiuntq; ea die, q̃ superiori tempore. Equidem & ego arbitror me cygnorum esse conseruũ, eidemq; deo sacrum, neq; deterius uaticinium ab eodem domino habere quàm illos, neq; ignauius è uita decedere. Quapropter licet uobis huius gratia dicere, & interrogare quicquid libet, quoad Atheniensiũ undecemuiri sinũt. Pręclarè loqueris, inquit Simmias. Itaq; & ego tibi aperiam, qua in re dubitem: & rursus hic Cebes, quid'nam ex superiori disputatione minus admittat. Mihi quidem, ô Socrates, quemadmodum fortasse tibi quoq;, uidetur de his quidem rebus manifesta ueritas in uita pręsenti, aut nullo modo, aut summa cũ difficultate intelligi posse. Quæ porrò de his dicuntur, ea non omni modo & explorare, & non prius desistere, quàm examinando omnia, animum despõdeas, mollis nimium iudico esse uiri. oportet enim circa hæc alterutrũ efficere: aut discere, inuenireq; quemadmodũ se habeant: aut si hæc fieri nequeant, optimam atque tutissimam humanarum rationum eligere, qua quis tanquam rate uehatur, atq; ita procellas huius uitæ pertranseat, si nequeat firmiori quodam uehiculo, uel diuino aliquo uerbo tutius ac minori cũ periculo tranare. Atq; ego nunc non uerebor interrogare, præsertim cum ad hoc ipse nos adhorteris, ne fortè meipsum quandoq; sim culpaturus, quòd nũc quæ mihi uideant̃ minimè dixerim. Profectò mihi ô Socrates, unà cum hoc Cebete tua dicta reputanti, haud satis cõfirmata uidentur. Forsan, inquit Socrates, uerè ô amice, opinaris. Sed dic qua in parte minus sufficiẽter dicta fuisse censeas. In hac utiq;, inquit Simmias. nempe de harmonia & lyra & fidibus idem posset quispiam dicere: harmoniam uidelicet esse inuisibile quiddam, & incorporeum, & perpulchrum atq; diuinum in lyra ritè temperata: ipsam uerò lyrã fidesq; corpora esse, atq; corporea, et cõposita terrestriaq; et mortali cognata. Cum igitur aliquis uel lyram fregerit, uel fides inciderit, siue disruperit, poterit quis eadẽ qua tu ratione probare, necessarium esse illam superesse harmoniam, neq; disperdi. Nulla ẽm machinatio foret, lyram quidẽ esse adhuc fidibus iam disruptis, atque ipsas fides mortalis generis: harmoniam uerò quæ diuini & immortalis cognata erat, prius quàm mortale illud interisse. Ille uerò diceret adhuc esse alicubi harmoniam, atq; prius ligna & fides putrefieri quàm illa aliquid patiatur. Arbitror equidẽ ô Socrates, te animaduertisse, nos tale aliquid potissimũ esse animam cogitare. Esse uidelicet in corpore nostro intentionem & complexionem quãdam ex calido, frigido, sicco, humido, cæterisq; talibus, horumq; temperantiam consonantiamq; animam esse, resultãtem uidelicet in corpore, postquam hæc ipsa bene moderateq; inuicẽ temperata fuerint. Si ergo anima harmonia quædam est, quoties horum natura in corpore propter morbos aliaq; mala immoderatè uel remittitur uel intenditur: necesse est animã quidem, quamuis diuinissimam, subitò interire, sicut solent cæterę consonantiæ, siue quæ in uocibus, siue

quæ in alijs artificũ operibus fiunt: reliquias autem corporis cuiusque diutius permanere, quousq; uel ardeant, uel putrefiant. Considera igitur quid huic rationi sit respondendum, si quis censeat animam temperamentum quoddã esse eorum quæ sunt in corpore, prioremq; in morte perire. Tunc Socrates quemadmodum sæpe solebat, intuẽs acrius atque ridens: Iustè, inquit, tu quidem loqueris Simmia. Si quis ergo uestrûm me facũdior est, cur his nõ respondebat? Non enim ignauè rationem attigisse uidetur. Iudico tamen antequam Simmiæ respondeatur, quid Cebes quoq; damnet, esse audiendum, ut tempore interiecto deliberandi habeamus facultatem. Deinde his auditis, uel his cõcedendum, si cõsentanea uero uideantur afferre: sin uerò minus, rationem superiorem defendẽdam esse atq; retinendam. Quamobrẽ dic age, ô Cebes, quid'nam potissimum te turbet, quo minus assentiaris? Dicam, inquit Cebes. Mihi quidem uidetur eodem reuolui, eidemq; quod in superioribus diximus, crimini obnoxia esse. Quod enim fuerit anima nostra prius quàm in humanam descenderet speciẽ, haud equidem retracto, quin bellissimè dictũ fuerit: ac nisi dictũ esset graue, sufficienter demõstratum asseuerarem. Attamen nobis mortuis superfore, non sic assentior. Neque tamen Simmiæ concedo obijcienti nõ esse animam ualidiorem corpore atq; diuturniorem. Videtur profectò mihi his omnibus anima præstare quàm plurimum. Hic ergo ratio superior ad me conuersa, sic inquiet: Quid'nam ulterius ambigis? cum uideas homine defuncto, quod in eo imbecillius fuerat superesse, quur nõ concedis oportere etiã ꝗd ualidius diuturniusq; erat, hoc ipso in tempore superesse? Sed aduerte iam quanti momenti sit, quod ad id respondeo. Similitudine mihi quoq; opus est, quemadmodum Simmiæ. Profectò mihi perinde hęc dici uidentur, ac si quis de homine textore sene defuncto diceret, nondum interisse illum, sed fortè alicubi superesse: coniecturamq; afferret uestis, qua ipse cũ texuisset, usus fuerit: assereretq; eum adhuc esse incolumem, neq; interisse: ac si quis id non credat, interrogaretur ab eo, utrum diuturnius sit hominis genus, an uestis qua quotidie quis utatur? quòd si respõdeat, genus humanum diuturnius esse: tunc demonstratum id esse putaret, uidelicet multo propterea magis sospitem esse hominem, quandoquidem quod in eo erat fragilius, nondum perierit. Hoc autem ô Simmia ita se habere non arbitror. Sed considera tu quoq; quid dicam. Profectò quiuis intelligeret, ineptè illud adduci. Nam hic textor qui multas cõtriuerit uestes, multasq; texuerit, multis quidem posterior obijt, ultima uerò prior: neq; propterea magis sequitur, hominem esse ueste uiliorem atq; debiliorem. Eandem fieri similitudinẽ animę ad corpus posse arbitror: ac si quis de his duobus eadem illa adducat, congruè dicere uideretur: uidelicet animam quidẽ esse diuturniorem, corpus uerò debilius, minusq; diuturnũ: uerùm diceret, quemlibet animorum plura consumere corpora, præsertim si multos uiuant annos. Si enim fluat corpus, homineq; etiã uiuẽte dissoluatur, anima uerò quod cõsumitur, retexat continuè: necessarium tamen erit, quando perierit anima, tunc ultimam habere uestẽ, eaq; sola priorem perire. Cum uerò perierit anima, tunc demum imbecillitatem naturæ suæ corpus ostendere, citò putrescens atq; euanescens: ut hac ratione nondum cõfidere ualeamus, tunc etiam cum decesserimus, animam nostrã superfore. Nam si quis dicenti etiam plura quàm quæ tu dicis, concesserit, nec solũ ante ortum nostrum animam extitisse, uerùm etiam nihil prohibere, etiã post obitum quorundam nostrûm remane-

re, sæpiusq; accedere ac decedere fateatur: adeò enim naturam animæ ualidam esse, ut sæpius corpori indita, se corpusq; seruet. his tamen concessis, nondum illud tibi daret, non defatigari in multis generationibus animam, sed tandem aliqua ex pluribus morte diceret omnino deleri. Quinetiam adderet, neminem mortem illam, dissolutionemq; corporis quæ animæ quoq; interitum infert, posse discernere: esse enim impossibile, ut quisquã nostrûm id sentiat. Quod quidem si ita se habeat, nemo non stultè in morte confidit: nisi demonstrare posit, animam omnino immortalem atq; indissolubilem esse. Alioquin cõsentaneum est, necessarium esse, ut qui moriturus est, animæ metuat suæ, semperq; sit sollicitus ne in ea quæ proximè imminet, corporis disiunctione prorsus intereat. Omnes igitur cum hæc audiuissemus, cõturbati sumus, ut postea inuicem aperuimus: quòd cum superiori disputatione nobis fuisset magnopere persuasum, uiderentur nos ab eo statu in præsentia deturbasse, atq; eò iam deiecisse, ut nedũ rationibus iam adductis, sed & dicendis insuper, fidem ullam adhiberemus: uerentes ne uel nos nequaquam boni essemus iudices, uel res ipsæ fide essent indignæ. ECHEC. Veniam equidem per Iouem do uobis, ô Phædo. Nam mihi quidem modò te audienti, tale quiddam ueniebat in mentem. Cui'nam deinde rationi credemus? quippe cum ratio illa Socratis usq; adeò paulo antè probabilis, iam fidẽ amiserit. Mirum est enim, quantũ apud me contrà posit ratio illa, semperq; potuerit, quæ animam nostram harmoniã quandam esse probat: & nunc quidem audita me subitò in memoriam reuocauit, quantum mihi quoq; alias persuaserit. Quo efficit, ut alia quadam ratione iterũ tanquam ab initio prorsus indigeam, quæ mihi persuadeat, animã cum corpore nõ interire. Dic ergo per Iouẽ precor, quo pacto disputationem peregerit Socrates, & utrũ ipse quoq;, quemadmodum de uobis ipse fateris, grauiter id ferre uisus fuerit: an contrà benignè suam defenderit rationẽ. præterea utrum satis, necne, eam tutatus fuerit. hæc nobis quàm potes diligẽtissimè refer omnia. PHAED. Equidem ô Echecrates, sæpe admiratus Socratem, nunquam maiori cum uoluptate, quàm tunc pręsens, sum admiratus, meq; affuisse ibi mirificè gaudeo. Habuisse quidẽ illum quod obiectionibus responderet, fortè non est mirandum: sed hæc in eo potissimùm sum admiratus, primò quidẽ, quàm iucundè, benignè, amicè adolescentium uerba recepit: deinde, quàm sagaciter sensit nos illorum rationibus fuisse commotos: demũ, quàm opportunè nobis adhibuit medicinam, & quasi fugientes atq; uictos reuocauit nos, cõuertitq; ad prosequendum atq; considerandum. ECHEC. Quo'nam pacto? PHAED. Dicam equidem. Sedebam fortè ad dexteram eius in subsellio quodam humili, iuxta lectulum. Ipse uerò Socrates sedebat longè superior. Attrectans igitur caput meum, comprimensq; crines super ceruicẽ (cõsueuerat enim nonnunquam, ubi contigisset, in meos crines ludere) Cras forsitã, inquit, ô Phædo, istas pulchras incides comas. Sic arbitror, inquam, ô Socrates. Non certè, si mihi assensus fueris, inquit. Quid hoc, inquã ego? Imò hodie, et ego meas, & tu tuas, si nobis ratio intereat: neq; enim ipsi suscitare possimus. Atqui si ego tu essem, ac me fugeret ratio, more Argiuorum iurarem, non prius comam nutriturũ, quàm uicissem Simmiam, Cebetemq; expugnauissem. At uerò, inquam ego, cõtra duos ne Hercules quidẽ dicitur suffecisse. At tu me Iolaũ, dum lux est, aduoca, inquit. Aduoco equidem, inquam: sed non tanquam Hercules Iolaum, imò tanquã Iolaus Herculem. Nihil refert, inquit. In primis

uerò

uerò cauẽdum, ne id nobis accidat.

Quid'nam, inquam? Ne rationũ, inquit, osores euadamus, quemadmodum nonnulli hominum osores fiũt. Nullum enim maius quàm hoc malum nobis posset accidere, uidelicet si rationes odio habuerimus. Fit autem eodẽ pacto odium & aduersus rationes, & aduersus homines. Odium quidem cõtra homines tunc maximè subit, quãdo alicui nimium credimus absque arte, putamusq; ipsum omnino uerum & syncerum fidumq; uirũ esse, deinde uerò mox prauũ infidumq; deprehendimus: rursusq; aliũ eodem pacto. Itaq; quando quis sæpius offensus ita decipitur, præsertim ab ijs quos præcipuè familiarissimos amicissimosq; existimabat, odit tandem plurimum uniuersos, putatq; nihil omnino apud quẽquam esse syncerum. An te latuit id ita accidere consueuisse? Animaduerti equidẽ, inquã.

An nõ turpiter, inquit, & absq; humanarum rerum arte hic aggreditur hominibus uti? si enim ex arte uti studeret, cogitaret utiq; rẽ ipsam ita ut se habet habere, uidelicet homines uehementer bonos aut malos perpaucos esse, medios uerò plurimos. Quo id pacto, inquam, dicis? Quemadmodũ uidelicet in rebus contingit ualde aut paruis, aut magnis, inqt. An tu arbitraris quicquã esse rarius, quàm ualde magnũ, aut ualde paruum reperire hominẽ, uel canem, uel quoduis aliud? Atq; rursus celerrimum, & tardissimum, pulcherrimum, turpissimum, albissimum, nigerrimum. An ignoras in his omnibus extremorum summa, rara quidem & pauca esse, media uerò frequentia atq; multa? Sic arbitror, inquam. Nõnne igitur arbitraris, inquit, si improbitatis proponeretur certamẽ, admodum paucos in hoc genere summos inueniri?

Consentaneum est, inquam. Consentaneum quidem, inquit: uerùm non hoc pacto similes rationes sunt atq; homines. sed te nunc ducentem prosequutus sum: imò uerò in hoc similitudo consistit, quando uidelicet quis absq; rationum arte, crediderit rationem aliquam esse ueram, sed paulo pòst appareat falsa: quæ quidem aliquando talis est, aliquando minimè, & rursus altera similiter atque altera. Præcipuè uerò illis id euenit, qui plurimum rationes contradictorias agitant. hos enim scis putare, tandem se sapientissimos euasisse, solosq; animaduertisse neque in rebus, neque in rationibus esse sanum aliquid, aut firmũ, sed omnia reuerà tanquam in Euripo sursum deorsumq; iactari, nullumq; tempus in aliquo permanere. Verè nimiũ loqueris, inquam. Nõnne, inquit, ægritudo hæc Phædro miserabilis esset, si cum ratio aliqua uera firmaq; sit, comprehendiq; ualeat, postea tamen auditis huiuscemodi rationibus, quæ modò afferre uera, modò falsa uidentur, aliquis hinc in ambiguitatẽ deductus, non seipsum, neq; eius inertiam ob id accuset, sed tandem uelut æger libenter culpam omnem à seipso, in ipsas transferat rationes, & in reliqua uita eas odio habeat, atq; uituperet, rerum iam ipsarum ueritate scientiaq; priuatus. Per Iouem miserabilis, inquã, ægritudo. In primis igitur, inquit, diligenter id caueamus, ne persuadeamus nobis, nihil in rationibus esse sanum, sed multo magis nondum esse nos sanos. Itaq; totis uiribus ut sani efficiamur, est annitendum: tibi quidem & alijs totius reliquæ uitæ gratia, mihi uerò gratia mortis, qui in periculo sum, ne in hoc ipso tempore, non ut philosophum me geram, sed ut contentiosum atq; pertinacem, quod quidam homines à disciplina alienissimi facere solẽt. Illi enim ubi aliquadere ambigitur, non ut res ipsa de qua agitur, se habeat, curant: sed ut quæ posuerunt ipsi, præsentibus uideantur uera, obnixè contendunt. Atq; ego mihi uideor in hoc duntaxat in præsentia ab illis differre, ꝙ

non

non, ut præsentibus probem ea quę dico, annitar, nisi quatenus forte cōtigerit, sed ut mihi ipsi uera q̄ maximè uideantur. Sic enim cogito dulcis amice, et uide quanto cum lucro sit ratio mea. Si fortè uera sunt quæ dico, operæprecium est ita credere: sin autem nihil superest post mortē, attamē hoc ipsum tempus ante obitum præsentibus minus ero molestus, minusq́ deplorabo. Hæc autē ignorātia minimè perseuerabit mecum, malum id quidē esset, sed paulo pòst delebitur. Sic equidē ô Simmia & Cebes, paratus reuertor ad disputādum. Vos tamen, si mihi assentiamini, nō Socrati cedite, sed ueritati. Si enim uera uobis loqui uidebor, concedite: sin minus, omnino contradicite, diligenter cauētes, ne ego dum annitor, meipsum simul uosq́ decipiam, & uelut apes aculeo in uobis relicto abeam. Sed iam accedendum est. Primùm quidem redigite in memoriam mihi quæ dicebatis, si minus meminisse uobis uidebor. Simmias quidem, ut arbitror, diffidit ac metuit, ne anima, quamuis diuinior pulchriorq́ corpore, prius tamen pro harmoniæ natura intereat. Cebes autem mihi uisus est concedere, diuturniorem esse animā corpore: sed is addidit, scire posse neminem, ne cum multa sæpius consumpserit corpora, tandem quandoque postremum relinquēs corpus, ipsa quoq́ pereat, atq́ mors eiusmodi tantū sit interitus animæ, corpus uerò dissolui continuè consueuerit. An non hęc sunt ô Simmia & Cebes, quæ nos oportet considerare? Confitebant̄ ambo. Sed nunquid omnia quæ dicta in superioribus fuerant, negatis? An quædam negatis quidem, sed cōceditis alia? Quædam, inquiunt, quædam non. Quid igitur, inquit, de eo quod disciplinam diximus reminiscentiam esse, atq́ si ita res habeat, necessariò consequi, alicubi fuisse animā prius quàm corpore clauderetur? Mihi quidem, inquit Cebes, istud dum diceres, mirificè placuit: atq́ nunc, si qua unquam in alia, in hac maximè sententia permaneo. Similiter ego quoque, inquit Simmias, affectus sum: uehementerq́ admirarer, si mihi unquā hac de re aliter uideret̄. At uerò necesse est, inquit, hospes Thebane, aliter tibi uideri, si in hac opinione permanseris, harmoniam uidelicet esse compositum quoddā, animam uerò harmoniam quādam ex his quæ per corpus intensa sunt, constitutam. Nunquam enim admittes, consonantiam cōpositam prius esse, quàm illa ex quibus componi cōsonantiam oportebat. Nunquid admittes? Nullo, inquit, ô Socrates, modo. Animaduertis igitur, inquit, cogi te id confiteri, quando dicis animū quidem esse prius, quàm in humanam speciem corpusq́ deueniret, atq́ esse corporis consonantiam, uidelicet ex his quæ nondum sunt, eam constitui. Neq́ enim talis tibi est consonantia, cui tu simile esse dicis. Immo uerò prius est ipsa lyra, & fides, & soni adhuc inconcinni: tandem uerò ex omnibus componitur consonantia omnium postrema, primaq́ disperdit. Hic itaq́ sermo quónam pacto tuo illi concinet? Nullo modo, inquit Simmias.

At uerò sicubi, inquit, uerba concinnitatē seruare debent, præcipuè decet esse concinna, ubi de concentu tractatur. Decet nimirum, inquit Simmias. Hic igitur sermo tibi dissonat, inquit. Sed uide utrum ex his duobus eligas, disciplinā ne reminiscentiam esse, an potius animum esse cōcentum? Primum quidem potius eligo, inquit. Id nanq́ alterum absq́ demōstratione admisi, ex uerisimili quadam conuenientia, quemadmodum uidetur & multis. Ego autem ea uerba quæ per id quod conuenit, demōstrationes faciunt, semper inania iudicaui: ac nisi quis caueat, ualde decipiunt, & in geometria, & in cæteris omnibus. Ratio uerò de reminiscentia atq́ disciplina, fundamēto innitit̄ fide di-

gno. Dictum est enim, animam nostram ita esse alicubi, prius etiam ꝙ laberetur in corpus, ut illa ipsius essentia habeat eius quod uerè est cognomentum. Ego uerò hanc, ut mihimet persuadeo, sufficiẽter rectéq; admisi: proptereáq; neq; mihi, neq; alijs, animam appellantibus harmoniam, assentiri possum. Quid uerò Simmia? Videtur'ne tibi uel consonantiæ, uel alteri cuiquam compositioni congruere, ut aliter se habeat quàm illa ex quibus cõflatur? Nullo modo. Neq; etiã ut aliud quicquam, ut arbitror, patiatur aut agat, quàm illa uel agant, uel patiantur.

Assentior, inquit. Non igitur conuenit consonantiam eam ducere, ex quibus cõposita est, sed sequi. Opinor ita. Quare permultum abest, ut harmonia in contrarium moueatur, aut sonet, aut quicquam aliud edat partibus suis aduersum. Permultum proculdubio. Quid uerò consonantia? nónne eatenus pro natura sua consonantia est, quatenus temperatur? Haud satis intelligo.

Nónne si magis plusq; contemperetur, si modò id admittit, magis plusq; consonantia est? Sin uerò minus atq; perpaucum, minus perpaucumq; similiter? Omnino. Nunquid de anima id dici potest? Vt uel in minima quadã re alia anima hoc ipsum quod est anima uel magis uel plus, aut contrà sit quàm alia? Minimè. Dic age per Iouem precor, num animam dicimus aliam quidẽ habere mentem uirtutemq;, atq; esse bonam: aliam uerò dementiam et prauitatem, malamq; esse? hæc' ne, inquam, uerè dicuntur? Verè quidem. Eorum ergo qui animam esse asserũt harmoniã, quis quid'nam dicet esse in animabus? hæc scilicet, uitium & uirtutem? an aliam quandam cõsonantiam atq; dissonantiã? & bonam quidem esse consonantẽ: & cum ipsa consonantia sit, alteram in se consonantiam possidere: malã uerò dissonantem & ipsam esse, nec aliam in se habere? Quid respondeã, non habeo. Constat tamẽ, eum qui animam esse consonantiam posuisset, talia quædam responsurum.

At uerò iam concessum est, nihilo magis aut minus aliam alia animã esse. Eiusmodi uerò concesio est neq; magis, neq; plus, neq; minus, neq; sub paucioribus gradibus aliã alia consonantiã esse. Nónne? Prorsus. Eam uerò quæ neq; magis, neque minus consonantia est, nimirũ neq; magis neq; minus esse contemperatã. Est ita? Est. Quę uerò neq; magis, neque minus temperata est, potest'ne pluribus, paucioribus'ue gradibus particeps consonantię esse? An potius æquè? Aequè potius. Quapropter anima, siquidem neque magis neq; minus alia quàm alia secundum animæ naturam anima est, cõsequenter neq; magis neque minus est temperata. Est ut dicis. Cum uerò sic affecta sit, nihilo magis consonantię est, uel dissonantiæ particeps. Nihilo magis. Præterea cum ita cõparata sit, num plus aliquid prauitatis uel uirtutis alia quàm alia possidet? siquidem prauitas quidẽ dissonantia est, uirtus uerò consonantia. Certè plus nihil. Quinimmò secundum rectam Simmia rationem, nulla usquam anima prauitate erit affecta, si fuerit consonantia. Quandoquidem consonantia uera secundum id quod cõsonantia est, nunquam fit dissonantiæ particeps. Nunquam certè. Neq; igitur anima quæ omnino sit anima, prauitate inficietur. Quo enim modo per ea quę dicta sunt, id fieri posset? Hac igitur ratione omnes animalium omnium animæ bonæ similiter erũt, si secundum animæ ipsius naturam similiter animæ sint. Mihi quidem Socrates ita uidetur.

Nunquid rectè sic tibi dici uidet, atq; hæc sequi, si uera esset illa positio, animam consonantiã esse? Nullo modo. Quid uerò? ex omnibus quę in homine sunt, aliud'ne pręter animam asseris dominari, præcipuè prudentem? Nihil aliud. Vtrum

corporis

corporis perturbationibus indulgentem, an potius repugnantē? Dico aūt tale quiddā ueluti si sub æstu sitis angat, interea tamē aduersaē animus, retrahitq; in contrariū ne bibat: similiterq; si premat fames, ne edat: in aliisq; quamplurimis uidemus corporis affectib. repugnantē. Nonne? Et quidem maximè. Nonne in superioribus cōfessi sumus, animam si consonantia fuerit, nunq̃ dissonaturā his quib. intēdit, uel remittitur, uel euibraē, uel quodcunque aliud patiantur illa, ex quibus ipsa cōflatur: sed secuturā illa, nunquam uerò ducturā? Confessi sumus. Quid uerò nunc? nónne contrà omnino uideē agere? quatenus ea ducit omnia ex quibus dixerit aliquis ipsam constitui? atque fermè omnibus per omnem uitam repugnat, multisq; dominatur modis, interdum rigidius quodam cum supplicio puniens per gymnasticā, atq; medicinam, interdum uerò mitius castigans comminando, aut monendo aduersus cupiditates & iras atq; timores, tanquam altera quædā res contra alteram loquēs, quemadmodum Homerus tradidit in Odyssea:

Tum pectus pulsans, cor sic affatur Vlysses:
Hoc quoq; cor perfer, nanq; & grauiora tulisti.

An putas Homerum hæc dixisse, tanq̃ harmonia quædā sit, ac talis, ut corporis passionibus subiiciaē, non autem ducat atq; dominetur? an potius quasi quiddam longè diuinius quàm harmonia sit animus? Diuinius per Iouem, mihi uideē significauisse. Non ergo, uir optime, rectè harmoniam esse animam diceremus. Sic enim, ut apparet, neq; Homero diuino poetę, neque nobis ipsis consentiremus. Sic est. Age harmoniā Thebanā satis, ut uideē, iam placauimus. Rationē uerò Cadmeam, ô Cebes, quónam pacto, & qua ratione plcabimus?

Hactenus uniuersam immortalitatis animorū rationem Plato complexus est. Sed quia non satis est, ueram sententiam ea de re proferre, quin falsas etiam refellat, in his quæ sequuntur, obiectas à Cebete ac Simmia falsas opiniones Socrates refutat. Quas tamen antequam iidem duo proponant, solito more Socrates digreßione quadam utitur, in qua mortis contemptum à se habitum ostendit: taciteq; Cebetem ac Simmiam reprehendit, quòd tam difficilè sibi animi immortalitatem persuaderi sinant. Quod ipsum exemplo suo probans, propterea inquit eos ægrè de mortis contemptu differenti credere, quòd de animorum immortalitate adhuc dubitent. Quo in loco non ineleganter se cygnis cōparat, quòd, ut illi ante mortem egregiè canere dicantur, ita ipse quasi cygnus nihili suam mortem faciens, coram amicis nunc disputet, ac de futura uita post mortem uaticinetur. In hac similitudine illud est considerandum, quòd Socrates ad Pythagoreorum sententiam alludens dicat, animas cygnorum post mortem uiuere. Siquidem illi animas omnium animalium easdem esse, atque æquè immortales, iterataq; generatione uaria sortiri corpora, putauere. Cum autem se Socrates inquit cygnorum esse conseruum, id est, æquè Apollini sacrum, atq; cygnos, uelleq; illos imitari eam ipsam ob causam: idem est ac si dicat, se ipsum Apollinis beneficio, hoc est, eruditione Apollinea, futuram post mortem immortalitatem præsentire: sicuti cygni morituri canant, quasi uitam eandem futuram præcognoscentes. Post hanc digreßionem, ad aliam quæstionem de animorum essentia non parum difficilem, Plato accedens, Cebetem ac Simmiam dubitantes inducit iis uerbis: Præclarè loqueris, inquit Simmias: itaq; et ego tibi aperiā, qua in re dubitē. *Sed quia ipsam de quæstione dubitationem, quam Socrates tollendam statuit, nosse necesse est, eandem paucis initiò proponit, cum ait:* Forsan, inquit Socrates, uerè ô amice opinaris: sed dic, qua in parte minus abundè fuisse dicta iudices. *Hic nos dubitationis oppositæ à Simmia & Cebete summam proponamus, tum illius solutionem à Socrate allatam. Dubitatio uniuersa hac de re obiecta in eo est, num anima esse possit corporis harmonia, nec id Socratis rationibus suprà adductis repugnet, cùm & harmonia ipsa æquè inuisibilis & incorporea sit, atq; ipsamet anima. Hoc inde probatur, quòd quemadmodum à lyra harmonia seiungitur: sic & anima, quasi concētus quatuor qualitatū diuersus, ab ipso corpore poßit esse. Siquidem earundem qualitatum temperatio incorporea existit, diuersaq; omnino ab ipsis qualitatibus: eaq; dissoluta, totum animal perit.*

perit. Talem esse temperationem, animam putat Simmias, his uerbis: Arbitror equidem ô Socrates, te animaduertisse, nos tale aliquid potissimùm esse animã cogitare, esse uidelicet in corpore nostro intentionem, & constitutionem quandã ex calido, frigido, sicco, humido, cæterisq; talibus. Hac quoq; in sentẽtia fuisse Aristoxenũ Musicum, lib. 1. Tusc. refert Cicero: itemq; Pythagoram, & Philolaũ, scribit Macrobius: idem omnium postremus Galenus asserere ac tutari conatus, à Gregorio Nysseno lib. 2. de Anima, et Nemesio philosopho refutatur. Sed nos ipsas paulo pòst rationes Socratis contra hanc obiectionẽ complectemur. Hic et aliud à Cebete obijcitur superiori non dissimile, Num anima quidem extare post corporis mortem possit: migrãdo tamẽ in diuersa corpora, quẽadmodum Stoici putarunt, paulatim cõsenescat, & intereat. Quam obiectionem eleganti similitudine Socrates diluit his uerbis: Sed aduerte iam quanti momenti sit, quod ad id respondeo: similitudine mihi quoq; opus est, quemadmodum Simmiæ. Ipsa uerò similitudo huiusmodi ferè est. Nõ quòd textor, dum uarias conficit uestes ætate paulatim ingrauescente, tandem moriatur, uestibus adhuc remanentibus, propterea sunt illo uestes diuturniores natura sua. Eodem etiam modo, non quòd animus in diuersa migret corpora, sæpeq; migrando quasi inueterascat, ideo corpus est illo uiuacius. Diluta hac Cebetis dubitatione, quia nondum Simmiæ Socrates responderat, eidem nunc occurit. Vt autem disputationem hanc commodiùs contexat, Phædo atque Echecrates loquentes ea de re inducuntur: ut cum idem Echecrates de Socratis responsione dubitare uideretur, eam statim Phædo subiungat, simulq; in admirationem Socratis illum conuertat. Initium autem Socraticæ disputationis inde nascitur: Atqui si ego tu essem, ac me ratio fugeret, more Argiuorum iurarem, nõ prius comam nutriturum, quàm uicissim Simmiam ac Cebetẽ expugnassem. Hic opus consideratione est, ut Socrates solita ironia usus, Phædonis sibi assidentis crines attrectet, dicatq; argiuorum more se crines non prius rasurum, quàm Cebetem ac Simmiã refellat: utque præsentes omnes amicos admoneat, ne suis ipsi sententijs nimiũ fidentes, obiectas rationes ueluti exosas reijciãt: tum ut exactissimas rationes afferri posse neget, cùm præclara omnia semper rara sint: ac facilius sit, mediocres multas, quàm unam perfectissimam, firmissimamq; reddere. Vt deniq; iubeat, ne more Sophistarum sententiam quis suam, falsam præsertim, tueatur: contraq; ueritatem secutus, fidem ei adhibeat. Verùm, quia hæc quoq; explicare, ne cui difficultatẽ pariant, breuiter oportet, antequã Socratis rationes proponam, cur initio Argiuorum more se prius scissurum comã negarit, quàm Cebetem ac Simmiam refutet, uideamus: deinde, cur eosdem moneat, ut uerum sequantur, nec duci autoritate cuisquam uelint: tum, cur præclaras ratiões, exactissimasq; rariores esse dicat: postremò, cur sophistarũ morem reprehendat, qui, ueritate neglecta, suam tueantur sententiam. In primis Argiuorum hic mos fuit, ac reliquorum Græcorum, & Romanorum etiam, quemadmodum refert Alexander ab Alexandro lib. 3. Genial. dierum, ut mœsticia de re aliqua cõcœpta, comã nollẽt radere: quemadmodum ediuersò, mulieres in funeribus euulsas comas sepulchris imponebant. Eodem etiã modo illi, cum quid facturos se proposuissent, iurabant non prius se comam scissuros, quàm id effecissent. Ita quidem mihi Socrates Phædonis crines attrectans, idem proponere uidetur, dissimulatione quadã usus: quasi dicat, proponere quidem se, ac more Argiuorũ iurare, facillimè se Simmiã Cebetemq; refutaturum. Id quòd his uerbis significat: Atqui si ego tu essem, ac me fugeret ratio, more Argiuorum iurarem. Huiusmodi etiam dissimulatione usus est in Euthydemo Socrates idem, cum huius prouerbij, Ne Hercules contra duos, originẽ explicãs, herculi se comparat. Cum enim, inquit, contra hydram & cancrum quendam marinum Hercules pugnasset, Iolaum in auxilium uocauit, et Ctesippum, quorũ ope belluam illam superauit. Eodem etiã modo duos illos Sophistas, quibus cum disputet, hydræ & cancro comparans, Herculis se exemplo superaturum se facilè inquit. Quod idem in hoc loco intelligit, cum ironicè ait: Ne Herculẽ quidẽ contra duos parẽ esse, egereq; se Iolai auxilio. In quo, per duos illos, intelligit Cebetem ac Simmiam: per Iolaum autem, Phædonẽ ipsum, cuius quasi opem iocans implorat. cui ediuerso Phædo, Socratẽ ipsum pro Hercule habere se inquit. Sed ueniamus tandem ad secundum. Conuersus ad Phædonẽ Socrates, antequam rationes suas proponat, Cebetem & Simmiam admonet, ut ueritati pareant, nec uelint argumentis obsistere. Sic enim ait: In primis autem cauendum est, ne id nobis eueniat.

Quid'nam,

Quid'nam, inquam? Ne rationum, inquit, osores euadamus. Hic quidem similitudine quadam ait amplectendam esse ueritatem, adhibendamq; fidem argumentis, nõ odio quodammodo insequendam: cum odium inde potissimùm nascatur, quòd aliquem, cui fidebamus multum, infidum esse deprehenderimus: ideoq; nemini postea credendum ducamus, magno quodam odio incensi. eodemq; modo, non quòd rationem aliquam minus probent, propterea sint negligendæ omnes. Præcepto hoc Socratis admonemur, ueris argumentis esse semper credendum: non Pythagoreorum more, autoritati tantũ: aut Academicorum recentiorum, nihil asserendum, quasi omnia ignota sint. Iam uerò, ut ad tertiũ ueniamus, nõ esse, Socrates inquit, poscenda exactissima argumenta, ad superiora confirmanda: quoniã satis sit, probabilia proferre, quando nulla possint alia suppetere: frequentioraq; sint uulgaria, quàm rara, & exquisita. Hac modestia sæpe apud Platonem Socrates utitur, ut in Timæo, alijsq; locis, ac demum in ijs uerbis: Animaduerti equidem, inquam. An non turpiter, inquit, et sine arte humanarum rerũ, hic aggreditur hominibus uti? Hoc est, qui rationes, quòd aliquam esse minus firmam perspexerit, tanquã odio habeat, reijciatq;: errat quidem ille, quòd omnes æquè debere esse firmas arbitretur, nec rara esse omnia præclara consideret. Postremò, quod ultimo loco posuimus, eò pertinet, ut cum Socrates Phædonem ac cæteros monuerit, ut ueris crederẽt argumentis, tum ut ea firmissima non quærerent, si non essent: nunc ueritatem amplectendam præcipiat, dimissa pertinaci cõtentione: cum summum sit uitium, opinionem, falsam præsertim, tueri, quod uel in sophistis sit magnopere reprehendẽdum, ut in Gorgia Sophistaq; dialogis docetur. Ideo inquit Socrates: In primis igitur diligenter caueamus, ne persuadeamus nobis: & quæ sequũtur. In quibus, uti suprà dicebamus, Sophistarum mores reprehendit, quòd pertinaces in defendendis opinionibus suis essent: easq; non ueritate, sed contentionis amore ducti amplecterentur. His ita expositis, quæ ad exordium sequentis disputationis pertinent, tria demum præcepta utilissima ex hac oratione Socratis colligimus. primum, ut rationi obtemperare, utpote rationis compotes, uelimus. secundum, ut in omni disputatione accuratissima argumenta, licet pauca, seligamus: quæ si desint, probabilitate simus contenti. tertium, ne nostram sententiam pertinaciter, Sophistarum more, tueri: ueritati autem, dedita opera, ut multi, cõtradicere studeamus. Quæ cum ita sint, argumenta demum ipsa Socratis proponamus. Sed iam accedendũ est: primùm quidem redigite in memoriã mihi, quæ dicebatis, si minus uobis meminisse uidear. Verba sunt hæc Socratis, quibus antequam argumenta sua proferat, repetere allatas obiectiones Cebeti ac Simmiæ iubet, quò ijs melius respondeat. Is enim est naturæ ordo uel à Dialecticis obseruatus, ut quæstione proposita, argumenta in utranq; partẽ proferantur. Rationes autem, siue obiectiones Cebetis ac Simmiæ, quas hic repetit Socrates, sunt hæ. primò quidem fieri posse, ut licet anima esset immortalis, diuturniorq; corpore, in uaria migrans corpora, simul cum aliquo corpore aliquando interiret: quod Stoici postea asseruere. Secundò uerò, esse etiam animum posse diuturniorẽ corpore, ac præstãtiorem, nihilominus eius essentiã harmoniam esse corporis qualitatum: quæ dissoluto corpore, unà quoq; interiret. Has ergo duas Cebetis & Simmiæ obiectiones diluit Socrates: illam præcipuè, quæ animam harmoniam esse corporis docet. Quã quinq; argumẽtis refutat: quæ Nemesius in lib. de Natura hominis, atq; Gregorius Nyssenus, & Philoponus lib. 1. comment. in Aristotelis libros de Animo, recitant etiam. Primùm præcedenti ex disputatione sumitur, quòd anima uidelicet ante corpus fuerit, quodq; nostra scientia superioris uitæ recordatio sit. Hoc posito uelut axiomate, sic argumentatur. Si scientia nostra recordatio est, fuit sanè anima ante corpus: quãdo anima illud est quod recordatur. At si harmonia sit eadem, prior esse corpore non potuit: ergo ante corpus esse, & non esse, simul non cohærent; ideoq; alterutrum est asserendum. Quod autem esse ante corpus anima nequeat, si sit harmonia, hinc liquet, quòd harmonia omnis ab organo suo seiungi non potest, tanquã à subiecto accidẽs, quodq; cum eo semper est simul. Quibus constitutis, sequitur, animam, quam ante corpus fuisse, sit suprà probatum, harmoniam non esse. Hæc in ijs uerbis à Socrate dicuntur: Quid igitur, inquit, de eo, quòd disciplinam diximus recordationem esse: atq; ita si se res habeat, necessariò consequi, alicubi fuisse animam prius, quàm corpore clauderetur? Deinceps secunda ratio huiusmodi est: Omnis harmonia diuersa non est ab ijs partibus, ex quibus constat, sed easdem sequitur potius: atqui animus à corpore diuersus

est, ut ex eius uiribus, actionibus, repugnantiaq; cum illo perspicitur: ergo harmonia non est. Idem cõfirmatur tertio argumẽto, hoc pacto: Harmonia omnis intentionẽ remißionemq; suscipit: siue, ut apertius dicam, harmonia una magis est harmonia, quàm altera: atqui anima una non est magis anima, quàm altera, sed eiusdem essentiæ: ergo non est ipsa harmonia. Hanc rationem concludit in his: Quid uerò, ô Simmia? uidetur'ne tibi uel consonantiæ, uel alteri cuiquã congruere, ut aliter se habeat, quàm illa ex quibus cõflatur? *Item quartum argumentum sic habet: Virtus omnis harmonia quædam animi uirium est, rursusq; uitium inconcinnitas earundem, ut in Timæo fusius docetur: atqui anima capax uirtutis est, et uitij: igitur nõ est harmonia: quando harmonia incõcinnitatem recipere, & harmonia simul esse nõ potest. Et hoc argumentũ hic cõcludit:* Præterea cum ita comparata sit, num plus aliquid prauitatis, uel uirtutis alia, quàm alia possidet? siquidẽ prauitas dissonãtia est, uirtus uerò consonantia. *Postremum huiusmodi est: Nulla harmonia sibi repugnat, nec organo suo aduersatur: atqui animus corpori sæpè aduersatur, ut cum affectus cohibet, corporiq; imperat: ergo non est animus harmonia. Hanc etiam conclusionem infert his uerbis:* Quid uerò, ex omnibus quę in homine sunt, aliud'ne præter animum asseris dominari, præcipuè prudentem? *Has igitur omnes Socratis rationes collegisse sic breuiter, satis sit: uerba enim ipsa, & oratio dilucida est. Hinc perspicitur error eorum, qui Platonem dicunt putauisse, animũ harmoniam esse, idq; ab Aristotele reprehendi in eo asserunt lib. 1. de Anima: cum apertè id Plato neget, atq; alios refellat in eo loco Aristoteles, uel id Simplicio ac Philopono testantibus, quos Platonicis etiam argumentis refutat. Illud porrò quod Socrates ait, per gymnasticen & medicinam corpus ab animo castigari, ita est intelligendum, ut duas cum Platone medicinæ partes esse sciamus: unam, curandi morbos, quam à medicis requirimus: alteram, exercendi corpus, quæ nostra in potestate ac facultate sit. Has duas corpori ab animo tanq̃ domino adhiberi corpori, inquit Socrates, corpus uerò ipsum subijci: quod Homeri etiam testimonio ex Odyssea probat. Quibus ex rebus fieri uult, ut cum animus corpori dominetur, harmonia non sit. Demum quod Socrates ait,* Age harmoniam Thebanã satis, ut uidemur, iam placauimus: *allusio quædam est ad Simmiæ patriam, qui Thebanus fuisse tum hic, tum suprà perhibetur. Argumentaturus etiam secũdo loco aduersus Cebetẽ, simili allusione ironica utitur, quasi dubitans quo pacto Cadmeã rationem, idest, Thebanã etiam (nam erat & Cebes Thebanus) refellat. Qua de re deinceps nos cum Socrate dicamus.*

Tu mihi, ô Socrates, uiam, inquit Cebes, inuenturus uideris. Nempe rationem hanc aduersus harmoniã mirificè præter opinionem nostram excogitasti. Cum enim audirẽ Simmiam dubitantẽ, ualde admirabar, si quis rationibus eius resistere posset. Itaque summæ mihi fuit admirationi, ipsum nec primum quidẽ potuisse rationis tuæ impetum sustinere. Quapropter non admirarer, si Cadmeus quoq; sermo idem pateretur. Parcius ista, bone uir, ne qua inuidia nobis sequẽtia interturbet. Sed hæc quidem Deo curæ erunt: nos autem, ut ait Homerus, comminus cõgressi, periculũ faciamus an fortè quid dicas. Summa uerò eorũ quæ perquiris, est eiusmodi. Demõstrandũ esse iudicas, animã nostram indissolubilem, immortalemq; esse, ne uir philosophus in morte securus, magnaq; cum fiducia sperans, in alia uita longè beatiorem ob philosophiæ studium se futurum, insipiens sit, stulteq; cõfidat. Ostendere autem ualidum quiddam esse animam, atq; diuinis persimile, priusq; etiam quàm nos extitisse: nihil impedimento esse ais, quo minus hæc omnia nõ immortalitatem quidem significent, sed duntaxat animã corpore diuturniorẽ esse, multaq; ante nos secula fuisse, nouisseq; & egisse permulta, nihilo tamẽ magis ob hoc immortalem esse existimandam. immò hunc ipsum in humanũ corpus ingressum, quasi morbum quendã interitus eius initium esse: adeò ut & in hac uita sit misera, & in corporis morte depereat. Nihil autem differre censes, siue semel tantum, siue sæpius labatur in corpus, ut quiuis nostrûm pertimescat. Meritò nanq; timendum

timendum esse, nisi stultus sit, ei qui neq; sciat, neq; assignare queat immortalitatis animæ rationem. Talia quædam sunt quæ dicis, ô Cebes, egoq; ea consultò sæpius repeto, ne quid nos fugiat, siue addere his quicquam uelis, siue demere. Nihil equidē in præsentia habeo, inquit Cebes, quod aut minuā, aut adiungam: atq; hæc sunt quæ dico. Tunc Socrates cum aliquantū se recepisset, ad se cōuersus, Haud leue quiddam requiris, inquit, ô Cebes, sed cuius gratia oporteat generationis corruptionisq; causam pertractare. Ego igitur, si uis, ea tibi quæ mihi euenerunt, enarrabo. Deinde si quid eorū quę dixero, ad quæstionis tuæ ueritatem aperiendam cōducere putabis, utere. Volo equidē, inquit. Audi igitur iam narrantem. Equidem ô Cebes, cum essem iuuenis, mira quadam eius sapientiæ cupiditate flagrabam, quam naturæ uocant historiam. Præclarissimum enim esse censebam, causas intelligere, per quas singula fiant atq; intereant, & qua sint ratione: sæpiusq; me sursum deorsumq; iactaui, talia quædā primò considerans, nunquid postq; calidum & frigidum putrefactionē aliquam acceperunt, quemadmodū nōnulli dixerūt, tunc animalia conualescant. Præterea utrū sanguis sit quo sapimus, uel aer, uel ignis: aut nihil horum sit, sed cerebrum, quod præbeat sensus audiēdi, uiuendi, olfaciendi: ex his autē memoria et opinio fiat: ex memoria uerò et opinione quietē accipiente, per hæc scientia oriatur. Proinde horū corruptiones considerans, atq; eas quæ circa cœlum terramq; passiones contingunt, tandem adeò mihi ad hæc consideranda uisus sum hebes ut nihil magis. Coniecturam uerò ad id afferam tibi sufficientem. Nempe ob eiusmodi considerationem usque adeò sum occæcatus, ut ea etiam quę prius manifestè sciebam, ut mihi alijsq; uidebatur, dediscerem, & alia uidelicet multa quæ antea me scire putabam, & qua ratione homo crescat. Id nanque opinabar ante esse cuilibet manifestum, hominem uidelicet per cibum potumq; augeri. Quando enim per hæc carnes carnibus, ossaq; ossibus adduntur, eodemq; modo in alijs quādo sua cuique adhibenē, tunc sanè molem primo paruam, deinde magnā euadere, atq; ita paruum hominem effici magnū. Sic ergo tūc opinabar, nonne satis bellè tibi uideor? Mihi quidē, inquit Cebes. Animaduerte hæc insuper. Arbitrabar enim satis rectè mihi uideri, quoties hominem uel equum magnū paruo propinquum, alterum altero iudicaram capite ipso esse maiorem. Atq; multo etiam euidentius decem plura apparebant mihi quàm octo, propterea quòd denarius duo præter octonarium contineret. Præterea bicubitum cubitali maius, quoniam dimidio superaret. Nunc uerò, inquit Cebes, de his quid iudicas? Procul equidem, per Iouem, abesse mihi uideor, ut alicuius horum causam intelligere putem, qui nondum mihi ipsi persuadere possum, ut quando quis uni addat unum, tunc uel illud unum cui unum adiūctum est, fiat duo: uel & adiunctum, & illud cui adiunctum est, propter alterius ad alterū adiunctionē euadat duo. Admiror equidem, si cum utrunq; horum separatum erat, utrunque unum erat, neq; erāt tunc duo, postquam inuicem cohæserūt, hæc ipsa causa fuerit ut duo fierent, congressio uidelicet, per quam propius iam posita sunt. Neque etiam si quis unum diuidat, adhuc possum persuaderi, hanc ipsam diuisionem causam esse ut duo euadāt. Contraria enim tunc atq; superius causa fit qua duo fiant. Tunc enim, quia cōiungebantur propius inuicem, alterumq; admouebatur alteri: nunc uerò, quoniam remouetur alterum ab altero, atq; separatur. Neque propter quid unum fiat, adhuc scire me arbitror, neq;, ut summatim dicā, aliud quicquam

quam quare fiat, aut pereat, aut sit, per hanc ipsam uiam me nosse profiteor: sed alium quendam ipse modum frustra misceo, hunc uerò nullo modo admitto. Verùm cum audissem aliquãdo ex libro, ut ille aiebat, Anaxagoræ, legentem quendã hanc Anaxagoræ ipsius sentẽtiam, uidelicet mentem omnia exornare, omniumq; causam esse: hoc utique causæ genere magnopere sum delectatus, existimans quodãmodo consentaneũ mentem esse omnium causam: putabamq; si id ita esset ut mẽs omnia exornaret, singula per hanc ita esse disposita, ut optimè disponi potuerant. Propterea si quis uellet causam inuenire quà singula fiant, atq; pereant, aut sint, hoc ipsum esse inueniẽdum, qua uidelicet ratione optimum sit unicuique, aut esse, aut quoduis aliud pati, uel agere. Atq; hoc pacto nihil aliud considerandũ homini uel de seipso, uel de alijs, nisi quod potissimũ sit, & optimum. Necesse uerò est, eum qui id norit, illud quoque quod est deterius, cognouisse. Quippe cum eadem horũ scientia sit. Hæc utique mecum ipse reputans, gaudebam, inuenisse ratus Anaxagoram magistrũ, qui me id quod tantopere cupiebam, causas rerum doceret, primumq; mihi diceret, utrum plana sit terra, uel rotunda. Et cum hæc dixisset, subiungeret mihi causam atque necessitatem, afferẽs uidelicet idipsum quod melius est, meliusq; fuisse eam esse talem. Proinde si terram diceret in mundo mediam esse, mox exponeret, melius extitisse, ut media esset. Quod si ille hæc ostenderet, ita me cõparabam, quasi nullam amplius causarũ speciem positurus. Præterea de sole & luna cæterisq; stellis, earumq; inter se uelocitate conuersionibusq;, & de huiusmodi omnibus, me similiter quæsiturum auditurumq; comparaueram, quòd uidelicet & qua ratione hæc melius sit singula uel facere, uel pati, quodcũque agant uel patiantur. Neq; enim putabã, cum ab initio dixisset, mente omnia exornari, ipsum aliam postea causam rebus assignaturũ, prçterquam quòd optimum sit eas ita se ut habeant habere. Itaq; arbitrabar, eum in reddendis singulorum, tum cũctorum communiter causis, singulis quidẽ assignare quod unicuiq; optimum, cunctis uerò commune bonum. Neq; uerò spes ipse meas parui faciebam, sed summo quodã studio acceptos libros quàm uelocissimè poteram lectitaui, ut ocyssimè quid optimũ, quid'ue eius contrarium esset, cognoscerem. Hac igitur mirabili spe ductus, cũ legere pergo, uideo hominem mente quidem nullo modo utentem, nec causam ullam ad ipsum rerũ ornatum referentẽ, sed aereas naturas & æthereas aqueasq; & talia multa incredibilia pro rerũ causis assignantem. Qua quidem in re ille mihi perinde uisus est agere, ac si quis diceret, Socratem quæcunq; facit, mente facere: deinde uolens singulorum quæ facio causas explicare, dicat primùm quidem nunc me hic propterea sedere, quoniam corpus meum ex ossibus neruisq; componitur: & ossa quidem solida sunt, & iuncturarum interualla inuicem habent: nerui autem sic instituti, ut & extendi & contrahi ualeant, complectantur ossa cum carnibus atq; cute, quæ res illa continet. Elatis igitur ossibus in suis coniunctionibus, nerui qui & intendunt & remittunt commodè, faciunt ut flectendi cuiusq; membri habeam facultatẽ, atq; hanc ob causam hic inflexus sedeam. Ac rursus disputationis meæ alias quasdam eiusmodi causas assignaret, uoces & aerem et auditũ, aliaq; generis eiusdem quamplurima, causas uerissimas negligens: uidelicet quoniam Atheniensibus melius uisum fuerit me condẽnare, ideoq; mihi etiã melius sit uisum hic sedere, iustiusq; iudicarim expectãtem dare pœnas quas illi iubeant. Profectò per canem, iam diu, ut arbitror, hi nerui,

atq;

atq; hæc ossa apud Megarenses, aut Bœotios essent, ipsius quod optimũ est optione delata: nisi iustius honestiusq; censuissem pœnas ciuitati pendere, quascunq; à me exigat, quàm subterfugere, atq; exulem uiuere. Verùm talia quædam causas appellare, à ratione est remotissimum. Si quis autẽ dixerit, absq; ossibus & neruis atq; similibus non posse me quæ mihi facienda uideantur implere: uerè utiq; dicet. Attamen asserere, propter hæc me facere quæcunq; facio, dum ipsa mente ago, non autem eius quod optimũ sit optione, multa magnaq; sermonis negligentia esset. Nam qui sic est affectus, nequit discernere aliam quidem esse ueram rei alicuius causam, aliud uerò illud sine quo ipsa causa esse non potest causa. Quod quidẽ multi mihi uidentur quasi in tenebris attrectãtes, alieno appellare nomine, dum causam nuncupant. Quapropter nonnulli uertiginem circumponentes terræ, sub cœlo eam stabilem faciunt. Alij uerò tanquã latum pistoris alueum, aere uelut base suffulciunt. Potentiã uerò ipsam qua nunc ita disposita sit ut optimè disponi poterat, neq; perquirunt, neque dæmonicam quandam habere uim putant: sed Atlantem quendam robustiorem & immortaliorem, magisq; omnia continentem inuenisse se opinantur. Ipsum autem bonum atq; decens connectere atque continere reuerà nihil existimãt. Ego igitur libentissimè cuiusuis essem discipulus, ut quemadmodum se habeat hæc ipsa causa, discerem. Postquam uerò hac priuatus sum, neq; ipse inuenire, neque ab alio discere potui, secundam nauigationem ad causam inuestigandam molitus sum.

Refutata Simmiæ sententia, nunc colligit Socrates more suo ea breuiter, quæ suprà docuerat, ut attentionẽ faciat auditorũ. Ergo et cum idem Thebanam harmoniam placasse se dixerit, idest, refutasse sentẽtiam illam Simmiæ, de qua suprà: nunc Cebetis rationibus respondet, atq; ioco quodam in eum usus dubitat, qua ratione harmoniam eiusdem placet, idest, argumentando refellat. Hoc autem animaduertens Cebes, quasi uictus dat manus, cum ait, Tu mihi ô Socrates uiam, inquit Cebes, inuenturus uideris. *Id est, non multum est quòd labores in me refellẽdo, cum Simmiæ sententiam, ac meã pariter, acutissimè refutaris. Quin et eiusdem Socratis argumenta laudat uehementer ijs uerbis,* Cum enim audirem: *& quæ sequuntur. Quapropter paulo pòst inquit,* Non admirarer, si Cadmeus quoque sermo idem pateretur. *Id est, Cum illam Simmiæ opinionem sic uideam improbatam, nihil est quod expectem amplius, cum eodem modo possim ipse refutari. Cum uerò ait, Cadmeum sermonem idem passurum, quod Simmiæ harmoniam: exprobrare Socrati uidetur, quòd ironia quadam illius rationes pro animi harmonia Cadmeas uocarit, ut Simmiæ opinionem Thebanam. His ergo Socrates respondens, ait,* Parcius ista bone uir: *Id est, Ne succenseas hæc mihi ô Cebes, uel dilutionem obiectionis à me allatã tantopere laudes: imò uerò ulterius progressi, rationibus rationes conferamus. Potest et hoc sic explanari ex Cebetis persona, ad Socratem dicentis,* Parcius ista bone uir: *Id est, ne multùm gloriere argumentis tuis ô Socrates, ne'ue nostras opiniones Cadmeas et Thebanas appella. Quin potius his omissis, uideamus, num meritò Simmiam reprehenderis. Hoc statuto, Plato uniuersam sub Cebetis persona sententiam Socratis de animorum immortalitate continuò colligit, ut ad sequentia transeat commodius, cum ait:* Summa uerò eorum quæ quęris. *Hic paucis Plato uniuersæ disputationis hactenus habitæ institutum complectitur, nimirum cur ad mortis cupiditatem philosophos incitarit: & quomodo animam immortalem esse docuerit. itaq; singula ferè capita argumentorum suprà positorum, in epilogum contrahit. His in memoriam à Cebete reuocatis, Socrates eum rogat, num id quod repetierit, ita sentiat, an nõ? Quibus assentiẽs Cebes idẽ, illud adhuc quærit, quid ita animus ortus ante corpus dicatur? Quam ad rem, quia locus sese offerebat de ortu interituq; rerum obiter perpurgãdus, digressione quadam utitur Socrates: qua et illos reprehendit, qui in tradendis rerum causis materiales, instrumentariasq; solum afferãt, non efficientes: & Physices scientiæ imbecillitatem, ambiguitatemq; ostendit. Qua longè præstantior sit scientia illa, quæ prima rerũ initia, maximeq; efficientia tradat: qualis est prima Philosophia, seu Theo*

logiæ, quam uulgus Metaphysicen uocat. Causa itaq; digreßionis huius est, quòd dixerit, sibi necesse esse, ut Cebeti respõderet, in referẽdis causis ortus atq; interitus rerum. Sed nos singula ordine suo explanemus. Iuuenem ait Socrates se Physices discendæ cupiditate flagrasse, quòd pulchrum duxisset, generationis & demolitionis cuiusq; rei causas nosse. Postea uerò, sententia mutata, ad aliud utilius disciplinæ genus se contulisse: quia eam sciẽtiam infirmam, incertamq; putaret. Appellat autem Physicen historiam, quia ut in historia singulæ res gestæ suo ordine tractantur: ita in illa uniuersum naturæ opificium historico more describitur. Vnde & in Timæo Plato de Physica disputaturus, historiã illam Solonis, & Atlantini belli commemorat. Hanc porrò siue scientiam, siue historiam, incertam esse uarijs de causis Plato deinceps docebit. Quod antequam nos proponamus, uideamus ecquæ nam sint illa, quæ Socrates dicat in Physica tractari, ueluti certa & indubitata, quæ tamen incertißima sint. In primis ait esse huius artis proprium, causas intelligere, per quas singula fiant atq; intereant, & qua ratione sint. Physici munus esse, causas corporum omnium nosse, Aristoteles lib. 1. Physic. ait: differre tamẽ à Theologo seu Metaphysico, ut uulgus appellat, quòd hic prima omnium rerum, ille corporearum tantummodo quærat. Quoniã autem, eodem autore lib. 2. causæ omnes ad effectum referuntur aliquem, ac Physice rerum corporearum causas inquirit: necesse quidem est, eam ortus & interitus rerum earundem causas inquirere, non omnes. Neq; enim eadem docet, quæ sint in uniuersum entis ipsius initia, quod est primæ philosophiæ: sed quo modo cuncta per formam suam existant, aut per eius absentiam pereant, et commutentur. Hoc etiam Plato intelligens hoc in loco, illud διὰ τί, hoc est, propter quid, ad formam, quæ finis est quodammodo in rerum effectione, refert. Efficiẽs enim materiam informans, finem tanquam sibi formam ipsam proponit. Sæpiusq; me sursum ac deorsum. Breui enumeratione ijs propositis, quæ in Physica disputentur, eorundem difficultatem auget, & obscuritatem. In primis autem illud commemorat, quod de animalium nutritione quæritur. Quod antequã ipse proponã, castigabo locum à Marsilio Ficino nõ bene uersum. Sic enim Plato loquitur: ἆρ' ἐπειδὰν τὸ θερμὸν καὶ ψυχρὸν σηπεδόνα τινὰ λάβῃ, ὥς τινες ἔλεγον, τότε δὴ τὰ ζῶα συντρέφεται. id est, Nunquid animalia tunc alantur, cum calor et frigus accipiant alimentum, quemadmodum aliqui putauere? Ego quidem hîc reipsa monitus, alterum è duobus coniecto, uel σηπεδόνα capi pro alimẽto, uel pro uerbo συντρέφεται legendũ esse συντρίβεται, siue συμφθείρεται, id est, corrumpitur, ita ut quæstio dicatur esse: Num, cum hæ qualitates calor & frigus putredinẽ accipiũt, animal pereat: quod idem est, ac si dicatur, uita calido frigidoq; sustentari, aut tolli. Itaq; si sensum priorem sequamur, intelligamus propositam hîc quæstionem esse, num incrementi aut nutricationis causa sit uis caloris & frigiditatis, an non. Cum enim hæ duæ qualitates agendi uim habeãt, necesse est, ut quod in animali alimentum conuertit in propriam substantiam, earum duarum aliqua sit: omitto autem uegetatricem animam, quæ id efficit maximè beneficio et instrumẽto earundem qualitatũ. Quæstionẽ hanc longè difficilimam copiosè tum alij, tum Plutarchus in libro, Vtrum frigus calore sit præstantius, tractat. Eiusdem uerò solutio talis esse uidetur: quòd, ut animalium uita in calore sita est, ita incrementi eorũ corporis uis ab eodem uidetur proficisci. nam & idem escas confectas alterat, eliquat, in accommodum uertit alimentum, quousq; in substantiæ suæ particulam commutetur. Frigus etiam id efficit, quòd id, quod adhæserit, cõsolidat, ac firmius constringit. Quo autem pacto accesßio illa substantiæ fiat, utrum per accesßionem materiæ nouæ, an per eiusdem extensionem, an per qualitatũ additamentum, difficilius est adhuc, maioriq; explicatione indiget. Quapropter Aristotelem hac de re lib. 4. Meteor. legendum censeo. Praeterea utrum sanguis sit, quo sapimus, uel aer, uel ignis. Hic multa se offerunt explicanda. Primò, num anima sanguis sit cordi offusus, quemadmodum putabat Empedocles: an aer, siue spiritus, ut alijs uidebatur: an ignis, ut Zenoni, et Stoicis. hæc enim uidetur hoc in loco significare Plato. Nisi id fortè ad illã quæstionem referri ab eodem Platone dicamus, Num id quò anima tanquam instrumento ad uitam corpori tribuendã utitur, sit sanguis, an aer, an ignis. Addit, & his aliam quæstionem, Num sensuum principium sit in cerebro, an in corde: id quod inter Galenum & Aristotelem controuertitur. Nam Galenus non solùm mouendi, sed etiam sentiendi uim omnem, atq; adeò principem animi uim in cerebro ponit: Aristot. uerò in corde, ut ex libro de Sensu & re sensili patet: eo excepto, quòd rationem ponit in cerebro. Ad Galeni sententiã accedit Plato in Timæo: Sed sentiendi uim ait ad iecur

iecur usq; permanare, ut in nostris Comment. latiùs docuimus. Additur his & alia quæstio, Num memoria, opinioq; fiat ex sensibus: id quod eódem ferè spectat. Plato quidem, et cum eo Aristoteles & Galenus, ipsam in cerebri posteriori parte constituūt, quòd eò sensuum imagines perferantur. Opinionem uerò, idem ait ex sensuum ac memoriæ cōnexione fieri: Aristoteles ex imaginatione & memoria: quod idem ferè est, ac si sub sensu & imaginationem, & sensus tam interiores quàm exteriores intelligamus. Verùm huius quæstionis solutionem prætermittamus, ne id quod à Socrate exempli gratia affertur, longius faciamus. Ipse aūt locus, in quo Plato hanc, quam dixi, quæstionem proponit, sic est legendus: ὁ δ' ἐγκέφαλός ἐστιν, ὁ τὰς αἰσθήσεις παρέχων τοῦ ἀκούειν, καὶ ὁρᾶν, καὶ ὀσφραίνεσθαι: ἐκ τούτων δὲ γίγνοιτο μνήμη καὶ δόξα. His porrò addit aliam quæstionem, num ex memoriæ atq; opinionis connexione fiat scientia, cum rei comprehensæ imago firma est. Scientiam quidem nasci ex earum rerū notitia, quæ sensu, imaginatione, memoriáq; percepta, ac iudicio examinata sint, & menti penitus insculpta, dubium non est: quo aūt pacto ea fiat, Aristoteles lib. 1. Metaphysic. & lib. 3. de Anima, Plato in Timæo, ac Cic. lib. 1. Acad. quæst. docent. Proinde horū corruptiones considerans. Physices imbecillitatem atq; incertitudinem ex rerū mutatione confirmat: quoniam scientia eorum quæ semper uno modo sint, existat: mutabilium uerò, & semper fluentium, nō item. Hac de re copiosius, quàm locus hic postulat, Plato in Theæteto ac Epinomide disputat, tum Aristoteles lib. 1. Poster. Analytic. ac Cicero lib. 2. Acad. quæst.

Coniecturam uerò ad id afferebā. Persequitur causas imbecillitatis humanæ scientiæ, idq; ab exemplo suo. Quòd, inquit, infirma sit Physices scientia, inde colligo, quòd ea quæ mihi antea persuasissima habebam, multis modis infirmari uideo. Hoc autem imbecillitati atq; errori sensuum tribuere Socrates uidetur, ut alijs in locis sæpè solet Academicorū more, qui scientiam ueram in mente, opinionem & errorem in sensu ponunt. Qua ratione homo crescat. Quo pacto homo crescat, quærit exempli gratia, ad humanæ scientiæ infirmitatē ostendendam. Nam augeri quidem omnia uiuentia, perspicuū esse inquit: quì uerò augeantur, obscurum, atq; adeò soli Deo agnitum. Dubitationē hanc nos Socratis, licet Peripateticorum sententia tollere aliquà ex parte possemus, ne tamē temerè audaces simus, fateamur quidem nos ignorare, quæ Socrates nesciat. Animaduerte hæc insuper: arbitrabar enim rectè. Pluribus adhuc exemplis nostræ scientiæ instabilitatem demonstrat: primò uidelicet, nunquid ea quæ magnitudine se superent, ita, ut appareat, sibi inuicem excellant, an aliter: tum, qua ratione se superent: propter connexioném ne, an quia eorum alterutrum eam habeat in se exuperationis aut defectionis naturam. Huius porrò quæstionis difficultatem in ijs uerbis magis ostendit:

Procul equidem per Iouem abesse mihi uideor. Est autem in eo difficultas, num, cum aliquid ex partibus augetur, recipiat incrementum eo quòd singulæ partes in se crescendi uim habeant: an, quia illud propter coniunctionē crescat, et quomodo crescat. Quæ res ex eadem illa quæstione, quam suprà ponebamus, pendet: nisi quòd hîc exemplis numerorum & magnitudinum indicatur, sicuti incrementum ad categoriā quantitatis pertinet. Verùm cum audissem aliquādo ex libro Anaxagoræ, ut ille aiebat. Non modò in se Socrates rerum naturalium obscuritatem & ignorationem ostendit, sed in Anaxagora quoq;: quem obiter reprehendit, quòd omnia in mixto quodam esse cōfusa dicebat, indéq; segregatione quadā nasci: interire uerò, dissolutione sui facta in illud subiectum primum. Huius segregationis, aut connexionis, mentem siue Deum autorem dicebat. Quod illi tum Plato sub Socratis persona tribuit, tum Aristoteles lib. 1. Physic. & Diogenes Laertius in eius uita. Hîc autem Socrates primò uniuersam Anaxagoræ opinionem recenset: tum iudicio adhibito id laudat in ea, quod ipsi uideatur laude dignum, uituperatq; contraria. Laudat quidem id, quòd cum mentem supremam omnium causam posuisset, putarit cuncta quæ fiant, nullā aliam effectionis suæ causam habere, quàm quòd illis optimum fuerit. Hoc principiò admiratum se, inquit, optimam de Anaxagoræ libro opinionem cæpisse. Vituperat uerò, quòd eius mentis efficaciam rebus effectis non adiunxit, quasi eàndem non retulisset. Sed uideamus nos, quæ sit summa Anaxagoræ sententiæ: & cur à Socrate hîc afferatur: tum quá nam in re uitium eius consistat.

Anaxagoras, teste Diogene Laertio lib. 2. primus materiæ corporearum rerum mentem adiunxit, quasi alterum principium. unde νοῦς, id est mens est ipse cognominatus. Putabat enim is omnia in materia cōfusa extitisse, uelut in chao quodam: indéq; mentem siue Deum eadem procreasse,

se, detractis similaribus partibus, ad unũquodq; efficiendum accommodatis: interire uerò ipsa, resolutis iisdem particulis in pristinum chaos. Reliqua eius dogmata refert prolixius idem Diogenes, atq; Plutarchus lib. 1. de Philosophorum decretis. Refellitur porrò in hoc loco à Socrate idem Anaxagoras, quòd cum unam causam principem omnium rerum, id est, mentem posuisset, illam singulis effectibus non accommodauit. Hoc enim scientiæ est, autore Aristotele, communes quasq; causas singulis reb. adhibere, ostendereq;, quomodo ipsæ ab illis producantur. Qui autem proposita causa communi, nihil ex ea deducat, is nec rationem disciplinarum tenet, & causis ipsis abutitur. Hoc ergo in Anaxagora uitium Socrates notans, ait: Video hominem mente nullo modo utentem, nec causam ullam ad ipsum rerum ornatũ referentem: sed aereas quasdam, aqueas, æthereasq; naturas, & huius generis alia pro causis afferentem. Id est, in eo quidem est Anaxagoras reprehendendus, quòd cum mentem ueluti principem causam statuisset, dum tamen ad rerum singularum effectionem uenit, illam ipsam minimè adhibet: sed similares cuiusq; rei partes ex similarib. alijs in Chao illo cõfusis gigni ait. Itaq; si quid aereum, igneum, aqueum'ue res ab elementis haberet, id dicebat secretione quadam similium partium factum: minimè tamen mentis mentionem faciebat, cum nihil sine efficienti causa fieri possit, atq; seipsam materia nequeat informare: quod Anaxagoras existimabat. Hoc ipsum ei Aristoteles iisdem penè uerbis, quibus hic Plato, illi obijcit, cum unà omnes eos philosophos reprehendit, qui in causis primis rerum tradendis materialem solùm attulere, non efficientem, aut materialem, quæ præcipuæ sunt: ac si fortè harum meminere, id quasi quadam fortuna fecere, non consilio. Quod autẽ hoc Anaxagoræ obijciat Socrates, similitudine quadam in ijs uerbis ostendit: Qua quidem in re ille mihi perinde uisus est agere.

Quod uerò idem paulo pòst inquit, Profectò per Canem iamdiu, ut arbitror, hi nerui: eò pertinet, ut doceat in se, causam materialem nullius esse momenti, sed efficientem potius, atq; finalem. Nam si dicerem ego, Socrates inquit, cur hic sedeam, causam esse, quod constem neruis, & ossibus, quibus sessio fiat: dicerẽ quidem aliquid, sed ea causa nõ erat hoc loco reddenda: itaq; inquirendum fuit aliud, cuius ratione id esse optimum probaretur. Veluti, ego si Athenis subire hanc mortem uelle me dicam, quia iniustum putem periculũ subterfugere, etiam si possem aut in Bœotiam, aut Megaras, aut aliò secedere, ubi me Athenienses non possent morte mulctare. Cur autem subire mortẽ Socrates iustum esse putarit, tum nos retulimus suprà, tum idẽ affirmat in Apologia, & Critone, atq; in Gorgia: ubi, debere reum quemcunq; iudicibus sese offerre ultrò, atq; pœnas æquo animo luere, inquit. Verùm talia quædam causas appellare, à ratione est alienissimum.

Hæc est suprà dictorũ cõclusio: in qua docet, materialem, aut instrumẽtariam, non esse ueram effectionis alicuius causam. Obiter autẽ, quis sit eiusdem causæ usus, exponit, cum ait: Si quis autem dixerit, absq; ossibus. Id est, si quis, numeratis causis alijs omnibus, materialem esse eam tantum dicat, sine qua fieri nihil possit, eamq; pro fine, aut efficiente non afferat, rectè quidem is facit. En, qui materialis causa uocetur hic ea, sine qua non, ut Arist. lib. 2. Physic. et Cicero in Topitis appellant. Illud uerò, quod addit Plato, Propter hæc: causam formalẽ significat, quæ propriè dicitur διὰ τί, id est, propter quid aliquid fit. Quòd autem hoc Socrates faciat discrimen materialis causæ, siue illius sine qua non, & finis, apertius declarat ijs uerbis: Nam qui sic est affectus, nequit discernere, aliam quidem esse uerã rei alicuius causam: aliud uerò illud, sine quo ipsa causa esse nõ potest causa. Id est, aliud est causa efficiens, ac finis: aliud uerò materia, in quam illa duo agunt, & sine qua existere res effecta non potest. Quod quidem multi mihi uidentur quasi in tenebris. Obiter reprehendit eos, qui causam sine qua non, causæ nomine appellent: cum causa uerè dicatur id, cuius ui aliquid fiat: materialis uim necessariã rebus adhibeat. Hos ergo qui causæ hoc genus afferant, uelut in tenebris ignorantiæ obuersantes, alieno usos nomine dicit, quòd causam illam appellẽt. Quapropter nõnulli uertiginẽ circumponentes terræ. Philosophorum quorundam sententias proponit, ut errorem eorum ostendat, qui causa materiali, instrumentariaq; contenti, reliquas ignorent, aut negligant: quod ipsum & Arist. lib. 1. de Prima philosophia, in iisdem reprehendens, causas materiales, non efficientes, ab iisdem allatas inquit. Quamobrem et Plato: ideo (ait) nonnulli terram stare existimant, quia ipsam rotundam esse iudicent, cum rotunditas sit forma quæ

dam corporis, non tamen illius collocationis causa. Alij porrò aere ipsam fulciri, ut in base, existimantes, id pro situs causa attulere, ut Anaxagoras. Sed homines, inquit, præcipuam uim effectricem rerum non attigere, contenti illo causæ materialis genere. Atq; id est, quod Plato ait, in ijs uerbis: Potentiam uerò ipsam, qua nunc ita disposita sunt. *Id est, uim, et δύναμιν efficientis causæ, aut finem, cur terra sit hoc modo in medio mundi fixa, minimè afferunt: nec aliam diuiniorem, atq; ui sua agentē, ueluti Deum, exquirunt, qui illam sustentet, contineatq;, ueluti Atlas quidam, quem fingunt poetæ cœlum humeris sustinere. His sic explicatis, concludit tandem Socrates, Physicen quidem incertum disciplinæ genus esse, tum quia magna ex parte natura rerum ignoretur, tum quia in ea pleriq; pro uera causa plerasq; afferant alienas. Hos in ijs uerbis Socrates refert,* Postquam hac priuatus sum: *id est, postquam ego in Physica, causam aliquam diuinam et primam effectionis cuiusque rei nec inueniri, nec afferri uidi, aliò me contuli, atq; aliud disciplinæ genus sum consectatus.*

Vis'ne, ô Cebes, hanc tibi à me demõstrari? Mirificè cupio, inquit Cebes. Censui tandem cum in rebus considerandis iam defessus essem, cauendũ fore, ne mihi idem accideret, quod accidere illis solet, qui in solem deficientem defigunt intuitum. Orbantur enim nonnunquam uisu, nisi in aqua, uel in eiusmodi aliquo imaginem eius aspiciant. Tale quiddam ego reputaui, timuiq; ne animus mihi prorsus occæcaretur, si oculis res aspicerem, sensuq; quolibet attingere illas aggrederer. Quapropter operæpreciũ fore censui, ut ad rationes confugerem, atq; in illis rerum ueritatem considerarem. Fortè uerò nostra hæc similitudo non omni ex parte cõgruit. Non enim prorsus assentior, eum qui res in rationibus contemplatur, in imaginibus aspicere potius, quàm qui in operibus intuetur. Veruntamen hac uia iter direxi meũ, supponẽsq; rationem semper quã esse iudico ualidissimã, quæcunq; huic consonare uideãtur, pono equidem tanquã uera: idq; ago et circa rerum causas, et circa reliqua omnia; quę uerò dissonant, uera esse nego. Volo equidem quæ dico, tibi apertius explanare. Puto enim te nondum intelligere. Per Iouem haud multum, inquit Cebes. Verùm nouum nihil adduco, sed quæ & sæpe aliàs in superiori disputatione dicere nunquã destiti. Pergo iam igitur demõstrare tibi causæ speciem quam continuè pertractaui, ac redeo ad illa iam sæpius decantata, ab eisq; exordior, supponẽs aliquid esse ipsum per se pulchrum, & bonum, & magnum, & cætera omnia. Quæ quidem si tu mihi dederis, eaq; esse concesseris, spero tibi ex his ipsam causam demonstrare, itemq; inuenire esse animam immortalem. At uerò quasi iam tibi concesserim, nihil tibi opus est præludio, quo minus iam cõcludas. Considera iam quæ sequũtur deinceps, utrum in his mihi consentias. Arbitror enim, si quid est aliud pulchrum præter ipsum pulchrum, nõ ob aliud quippiam esse pulchrũ, quàm quia pulchri ipsius est particeps. Atque omnia dico similiter. Nunquid ob hanc causam recipis?

Recipio equidem, inquit. Ergo nondum ultra percipio, neque possum cæteras istas præclaras causas cognoscere. Si quis autem mihi dixerit quare pulchrũ sit quodlibet, uidelicet quia uel colorẽ habeat floridum, uel figuram, uel aliud quoduis talium, cætera quidem ualere sino: in cæteris enim omnibus soleo perturbari: id uerò unum simpliciter atque proculdubio, & fortè iam ineptè penes me teneo, nihil aliud esse quod aliquid faciat pulchrum, quàm ipsius pulchri siue præsentiã, siue cõmunionem, siue qualicunq; ratione & quocunq; modo id proueniat. Neq; enim id adhuc affirmarem: sed pulchro pulchra omnia esse pulchra, id mihi uidetur tutissimũ tam mihi quàm alij respondere, atq; huic fundamẽto innixus, puto nunquam cadere, sed & me & quemuis alium tutò respondere posse, quæcunq; pulchra sunt, ipso pulchro fieri pul-

ri pulchra. Nónne et ipse consentis? Consentio equidẽ, inquit Cebes.

Ergo & quæ magna sunt, ipsa magnitudine esse magna: & quæ maiora sunt, similiter esse maiora: & quæ minora, paruitate esse minora. Ita est. Igitur neq; tu quidem assentieris, si quis aliquẽ dixerit alio quodam capite esse maiorem: atq; eum qui minor est, eodem capite esse minorem: sed testificaberis, te quidem nihil aliud esse dicturum, quàm omne maius alio non alia re ulla quàm magnitudine esse maius: atque ob hoc maius, ob ipsam scilicet magnitudinẽ: minus autem, nullo similiter alio quàm paruitate, & propter hoc esse minus, propter ipsam uidelicet paruitatem: metuens, ut puto, ne si quem dixeris capite maiorem esse, uel minorem, quispiã tibi sic obijciat: primùm quidem eadem re et maius fore maius, & minus fore minus: deinde quòd capite quę res parua est, maiorem affirmes esse maiorem. Hoc autem dicet monstro esse persimile, ut paulo aliquo magnum quiddam esse dicas. Nónne hæc metueres? Tũc Cebes subridẽs, Equidem inquit. Nónne similiter quoq; metueres dicere, inquit, decem plura quàm octo esse duobus, atque ob hanc causam superare, potius quàm multitudine, atque propter multitudinem? Ac similiter bicubitum cubitali maius esse dimidio potius quàm magnitudine? Id enim similiter est metuendũ. Omnino. Quid uerò si uni addatẽ unum, additamentum ipsum esse causam ut duo fiant: uel si diuidatur, diuisionem ipsam duorum esse causam, dicere non formidares? Altiusq; exclamares, nescire te quónam alio pacto quicquã fiat, nisi participatione quadam essentiæ unicuique propriæ, cuius sit particeps? atq; in his nullam aliam habere te causam, cur duo fiant pręter duitatis ipsius participationem: sed oportere huius participia fore, quæcunq; futura sunt duo: & similiter unitatis, quodcunq; futurũ sit unum? Has uerò diuisiones adiunctionesq;, & cæteras eiusmodi argutias ualere sineres, relinqueresq; sapientioribus te per eas pro arbitrio responsuris: tu uerò tuam, quemadmodum dici solet, metuens umbrã & imperitiam, atq; innixus tutissimæ illi positioni, sic utiq; responderes? At uerò si quis eandem positionem complexus instaret, ualere sineres, neq; prius respõderes, quàm quæ inde manant, considerasses, utrum consonent inuicem, aut dissonent? Vbi uerò illius ipsius rationem oporteret afferre, eodem modo afferres, atque aliam rursus positionem adduceres, quæ superiorum optima uideretur, quoad ad aliquid sufficiens peruenires? Nunquã uerò simul confunderes contentiosorum more, ubi & de principio, & de his quæ à principio deducuntur, disputas, si modò uelles eorũ aliquid quæ uerè sunt, inuenire? Nam illis fortasse nullus hac de re sermo est, nulla cura. Possunt enim præ sapientia & simul omnia commiscere, & tamen sibimet placere. Tu uerò si ex philosophorum numero es, quę dico, ut arbitror, facies. Verissima loqueris, inquit Simmias & Cebes.

Quod consilium in causis rerum inquirendis fuerit sequutus Socrates, exponit: aitq; longa se indagatione causarum defatigatũ, tandem in multis rebus hallucinatum esse, ob earum ignorationem. Veluti cum quis solis deliquium inspiciẽs, intentis oculis obcæcatur: id quod Galenus, & alij quoq; medici referunt. Itaq; cum res ipsas, inquit, sensibus nec assequi, nec nosse possem, quippe quæ nec in sensum, nec in rationem sensilem aliquam caderẽt, ad causas alias in mentem solum cadentes confugi, ut ex ijs ueri quid esset colligerem. Quoniam uerò dixit, solis deliquium aspicientes obcæcari, nisi in aquam, aut densum aliud huiusmodi perspicuumq; corpus imaginem eiusdem deliquij referens aspiciant: ut hac similitudine doceret, humanam mentem difficili contẽplatione obcæcari, caligareq;, ut ait Aristot. ueluti uespertilionem ad lucem: correctione quadam usus ait, se non ita id dicere, ut similitudinem omnino quadrare dicat huic loco, sed quatenus de mentis cæcitate loquebatur. Nam illud quod dicitur,

citur, aspectũ recreari, si in aquam aut aliud huiusmodi quicquam, imaginem ipsam inspiciamus: minimè his congruit, quod dicit, rerum causas ac similitudines earũdem in imagine spectandas esse, non in uera ipsa, primaq; ratione atq; principio. Neq; enim ex similitudine rei causa eiusdem agnoscitur, sed ex eiusdem principio. Obiter hic optimam rationem inspiciendi ecclipsim solis animaduerte. Quoniam enim sol lunæ opacitate obscuratus aspectũ lædit, ob illam subitam lucis offuscationem: commodũ erit peluim, aut uas aliud nitida aqua, oleóue plenum, e regionè deficiẽtis solis ponere, & in ipsa aqua congressum lunæ cum illo cernere, ueluti in imagine quadã. Porrò aũt quem ordinem causarum prosequatur Socrates, in his exponit: Hac uia iter direxi meũ. Id est, ueram rationem inuestigandarũ causarum putaui esse, firmißimam cuiusq; rei rationem inuestigare, & quicquid illi esset congruum addere: contraria uerò reijcere tanquam falsa & absurda. Sed quod'nam causæ genus est illud, quod hîc Socrates commemorat: Pergo iam demonstrare tibi causę speciem. Causa quidem uerißima, quam sequi se, ac tueri Socrates inquit, est, quòd in omnibus illud pro concesso statuit, esse aliquid pulchrum, bonum, & magnũ per sese: id est, omnium rerum esse formam, & ideam quandam, per quam eædem existant. Hoc posito tanquam axiomate, quod hoc loco demonstrare uelit, eleganter idem ostẽdit, quomodo inde causas rerum deducat. Hîc animaduerte, disciplinas omnes sibi esse mutuò subiectas, communiores uidelicet minus communioribus, et ex ijs cõm uniores cõtinere sub se minus communes; ita ut minus cõmuniũ principia cõclusiones communiorũ sint: ueluti Physica principia quædam habet, quæ ipsa probare nõ potest, nisi Theologiæ, seu metaphysicæ adiumẽto. Medicina etiã habet sua, quæ ex Physica pendẽt: atq; eodẽ modo artium reliquarũ aliæ ex alijs nascũtur. Itaq; ideas esse rerũ omniũ principia, physica quidẽ statuit, ueluti primũ initiũ, quod cõcessum esse uult, ut ait Socrates: Theologia uerò illud ipsum probat communiorib. alijs principijs. Hunc ordinẽ Plato sequutus, quẽ et Arist. lib. 1. Physic. sequitur, de ideis disputare nolle se inquit, ne fines physices prætereat: sed docere tantũ, quomodo ex ijs omnes causarũ formæ deduci poßint. Quapropter et nos, cùm de ideis in Commẽtarijs nostris in Timæum, alijsq; in locis disputauerimus, plura his addere nõ oportet. Arbitror enĩ, si quid est aliud præter ipsum pulchrum. Incipit iam inductione ostendere, quemadmodum participatione ideæ cuncta id sint, quod existũt: idq; in exemplo hic proposito de pulchro intelligibili, rebusq; pulchris sensibilibus ostendit. Vnum est, inquit, pulchri genus per se, atq; idem, et sui semper simile, quod τὸ καλὸν dicitur: alterum uerò, huius participatione pulchrum, non per se, sed quatenus in se quicquam illi primo simile habet, cuius ratione tanquam imago pulchrum dicitur, alioqui per se ipsum nihil habet aut pulchri, aut boni. Hinc intellige, Socratẽ in exemplo hoc de pulchro illo primo ac secũdo, docere uelle, omnia corporea idipsum quod sunt, per ideam seu formã suam existere: ideoq; uerã illorũ formã esse ipsam formã, aut finẽ, nõ materiã. Cuius rei causa est, quod ad ideæ in Dei mẽte sitæ imaginẽ facta sint omnia, formamq; habeãt eßẽtialẽ: ita fit, ut si rei essentia uera est, eiusdẽ ipsius causa, et causæ ab essentia ductæ omniũ sint efficacißimæ, recurrendum sit ad ideam rei cuiusq; tanquam ad causam principẽ, atq; ad finem eiusdem effectionis. Hîc autem intellige, ideam tum efficientem causam esse, tum finem: efficientem quidem, quatenus sui imaginem in materiam eandẽ imprimit: finem uerò, quatenus ideo materiam informare uult, ut sui similitudinem, id est, formã materialem inducat. Qua etiam in sententia est Aristot. qui lib. 2. Physic. formam rei tum finem, tum formalem causam esse putat. De primo præterea pulchro, ac secũdo, nihil est quod hic multum laboremus, cum ea de re in Comment. nostris copiose disseruerimus, disseratq; Plotinus lib. de Primo pulchro, Platoq; in Phædro. Satis sit autem, hîc Socratẽ, ut aliâs nõ semel, per illud τ' ἀγαθὸν, ideam boni & pulchri in Deo positam intelligere, cuius ui cuncta & pulchra & bona sint. Totam porrò hanc de idea, & eius imagine rebus impressa, disputationẽ, Socrates quasi cõcessam hîc esse uult: ut id doceat quod instituit, ne id sæpius inculcet, quod et ab hoc loco alienum sit, et in Parmenide copiosius explicatum. Itaq; Socrates illud à Cebete concedi sibi uolens, tanquam uerum ac certum, ait: Ergo nondum ultrà percipio, nec possum cæteras istas præclaras causas cognoscere. Id est, hic porrò consistere necesse est, nec ulterius progredi in causis inquirendis, cum & hæc uera causa sit, cuius ui omnia primò fiant: & hoc loco docere, qualis sit eadem, non oporteat, ne ab instituto nostro digrediamur. Iam eandem rem Socrates magis illustrat inductione quadam exemplorum huiusmodi: Ergo & quæ magna

sunt,

sunt, ipsa magnitudine esse magna. *quod suprà in idea pulchri, nunc in idea magni inducit, docens omnia magna eatenus magna esse, quatenus in se idealis magnitudinis formam habeant, eodemq; modo reliqua omnia. Atq; in his omnibus uerbis, quousq; Echecrates iterum inducitur, nihil aliud Socrates uult, quàm id quod suprà instituit, docere: quomodo uidelicet omnia idipsum quod sint, per ideam sint, cuius sunt participia: et quòd ad eam causam peruenire tandem ueluti ad postremam poßimus, ulterius uerò minimè. Qua in re ordinem quoq; aliquem seruari uult, ne Sophistarum more (quos hic ἀντιλογικοὺς, sicut & Arist. lib. 1. Elench. uocat) ordo causarum perturbetur, & pro principijs primis secunda referantur. Nam qui de alicuius rei effectione rogatur, causam in primis uerißimam et præcipuam reddat necesse est, deinde particularem: minimè tamen omnia permisceat. Quare ne perturbati rerum ignorantia, ac ueluti nostrã umbram (ut est in prouerbio) metuentes, uacillemus in causis, inquit Socrates, reddendis: petamus aliquid, quod tanquam hypothesis concedatur, ex quo nostra deinceps probatio concludatur. Id & à Socrate ipso hîc factum est, cum ideã ueram esse omnium rerum causam statuens, non materiam, id sibi tanquam uerum assumpsit, quod disputationis sit alterius.*

ECHEC. Per Iouem ô Phædo, meritò admodum consenserunt. mirificè enim ille mihi uidetur, rem ipsam uel hebetissimo cuiq; explanasse. PHAE. Sic prorsus ô Echecrates, præsentibus omnibus similiter uisum fuit. ECHEC. Quid mirũ? cum nobis quoq;, qui non interfuimus, nunc similiter audiẽtibus uideatur. Verùm quæ'nam post hæc dicta fuerunt? PHAE. Vt equidem arbitror, postquam hæc illi Socrati concesserunt, cõsenseruntq; speciem quamlibet aliquid esse, & quæ harum participia sunt, ipsarum denominationem habere, deinceps hunc in modum interrogauit: Si hæc ita se habent, nónne quando Simmiam dicis Socrate quidem maiorem esse, Phædone uerò minorem, tunc affirmas in Simmia utrunq; esse, & magnitudinem simul, & paruitatem? Equidem. Attamẽ Simmiam confiteris excedere Socratem, non ita reuerà ut uerba sonant. Non enim ita natura institutum esse existimas Simmiã, ut ea ratione superet qua est Simmias, sed magnitudine quã habet: neq; rursus Socratẽ, eo quòd Socrates est, excedi, sed quia paruitatem præ magnitudine illius habeat. Vera loqueris. Similiter nec à Phædone superari, eo quòd Phædo sit Phædo, sed quia Phædo præ Simmiæ paruitate magnitudinẽ habet. Ita est. Sic itaq; Simmias denominationem parui habet & magni. siquidem in amborũ medio positus, alterius quidem paruitatẽ magnitudine superat, alterius uerò magnitudini paruitate cedit. Et simul subridens inquit: Videor equidem affectatius descripsisse, ueruntamẽ est ut dico. Sic apparet. Dico autem propterea, quia cupio uideri tibi quod & mihi uidetur. Opinor enim nõ solum magnitudinẽ ipsam, nunquam uelle magnam simul paruamq; esse, uerumetiam neq; hanc quæ in nobis est, magnitudinem unquam recipere paruitatem, neq; superari uelle, sed è duobus alterum accidere: uel fugere, seq; subtrahere quando aduentat contraria paruitas: uel cum aduenerit, interire: nolle autem expectare, atq; in paruitate recipienda aliud esse quàm erat. Quemadmodum ego cum susceperim sustinuerimq; paruitatẽ, quandiu is ipse sum qui sum, sic ipsemet sum paruus. Illud autem magnum quod ipsum est, nunquam sustinuit esse paruum: similiter paruum quod est in nobis, nunquam uult magnũ aut fieri, aut esse. Neque aliud quicquam contrariorum, quamdiu est id quod erat, patitur simul contrarium fieri aut esse: sed aut abit, aut perit cum aduentat contrariũ. Ita prorsus existimo, inquit Cebes. Tunc quidam eorum qui aderant, hæc audiens: quis autem ille fuerit, non satis memini: Dij boni, inquit, nónne in superioribus contrarium eorum quæ dicuntur, nobis est concessum, uidelicet ex minore maius fieri,

fieri, atque ex maiori minus, esseq; proculdubio generationem contrariorum ex contrarijs? Nunc autem uidemini, fieri id non posse dicere. Cum uerò Socrates admouens caput, auscultasset: Viriliter, inquit, id recordatus es: non tamen intelligis differentiam inter id quod modò dictum est, atq; illud superius. Tunc enim dicebatur, ex contraria re rem contrariam fieri: nunc uerò, contrarium ipsum sibimet contrarium fieri nunquam, neque quod in nobis, neq; quod in natura cõtrarium est. Talia quidem, ô amice, de his quæ habent contraria dicebamus, hæc illorum cognomine appellantes. At nunc de illis ipsis loquimur, quę his insunt, quorũ'ue præsentia cognomen habent ea quæ nominantur. Illa uerò iam dicimus nunquam uelle mutuam inter se generationẽ suscipere. Et simul Cebetem intuitus, inquit: Num te quoque Cebes, aliquid eorũ quæ nunc obiecta sunt, perturbauit? Haud equidem, inquit Cebes, ita sum affectus: ac tibi affirmo, non multum me turbari. Id ergo simpliciter, inquit, confessi sumus, contrarium nunquam sibimet fore contrariũ. Omnino. Aduerte præterea, nunquid & in hoc mecum sentias. Vocas'ne aliquid calorem atque frigus? Voco equidem. Num tanquam niuem atque ignem? Non per Iouẽ. An aliud quiddã calorem esse quàm ignem, & aliud frigus quàm niuem? Ita. Sed hoc quoque tibi uideri puto, niuem quamdiu nix est, nunquam suscepturam esse calorẽ, quemadmodum in superioribus dicebamus: ac esse niuem ut erat prius, simulq; calidam: sed aduentante calore, aut subterfugere, aut interire. Penitus. Similiter & ignẽ subintrante frigore, aut subterfluere, aut extingui: nec unquam posse & suscipere frigus, & simul esse ignem sicut prius erat, & frigidum. Vera narras. Sunt igitur quædam eiusmodi, ut non solùm speciem ipsam nomine suo dignentur per omne tempus, sed & aliud quiddam, quod quidem nõ est primum illud: habet uerò, quamdiu est, illius formam. In hoc rursus tibi quod uolo, fortè manifestius erit. Impar enim semper oportet nomen id q̃d nũc dicimus, possidere. Nónne? Oportet sanè. Num id solùm ex omnibus? hoc enim quæro: an et aliud quiddã, quod quidem est non idipsum impar, attamen hoc oportet unà cũ suo nomine, hoc insuper nomine alio semper appellari, propterea quòd ita natura sit institutũ, ut nunquã ab impari deseratur? Dico autem hoc effectum esse ceu ternarium, aliaq; permulta. Considera uerò de ternario. An non tibi uidetur, hunc & suiipsius nomine semper nuncupandum esse, & simul nomine imparis? Quod quidem impar nõ idem est, quod est ternarius. Veruntamen ita natura cõparatus est & ternarius, & quinarius, & omnis medietas numeri, ut quamuis non idem sit quod impar, semper tamen eorũ quiuis sit impar. Præterea duo & quatuor, omnisq; alter numeri ordo, quamuis idem quod par non sit, simul tamen quilibet illorum par semper existit. Concedis, nec'ne? Quid ni? Contemplare ergo quid uelim. est autem eiusmodi. uidẽtur quidem non solum ipsa inter se contraria sese inuicem non recipere, uerumetiam quæcunq; talia sunt, ut licet contraria inter se non sint, semper tamen contraria possideãt, nunquam recipere speciem illam quæ ipsi speciei quam in se habent, cõtraria sit: sed hac adueniente, aut perire protinus, aut abire. An non dicimus tria & deficere, & aliud quoduis pati prius q̃ sustinere, ut quatenus tria sunt, paria fiant? Ita prorsus. Non tamen contraria est duitas trinitati. Non certè. Non solùm ergo species ipsæ cõtrariæ nunquam inuicem se recipiũt, sed etiam alia quædam contrariorum ingressum mutuum non suscipiunt. Verissima narras. Vis'ne igitur hæc si

possumus, qualia sint, definiamus? Volo equidem. An nõ Cebes hæc erunt, quæ quodcunq; occupant, tale reddunt, ut non solùm suijpsius ideam retinere cogatur, sed etiam cõtrario illi sit opus? Quo'nam pacto dicis? Quemadmodum paulo antè dicebamus. Scis enim quæ triũ continentur idea, oportere non solùm tria, sed etiam imparia esse. Certè. Ad hoc tale utique dicebamus, idæam contrariam formę illi quę id perficit, nunquam accedere. Nunquam. Perficit aũt imparis ideam.

Hæc ipsa. Contraria uerò huic paris idea. Ita est. Ergo ternario numero idea paris se nunquam insinuabit. Nunquam. Quapropter ternarius numerus paris est expers.

Expers. Trinitas ergo est necessariò impar. Est. Quod ergo definiendum assumpserã, qualia uidelicet sint, quæ etsi alicubi nõ sunt contraria, ipsum tamen cõtrarium non admittunt, perinde se habet ut trinitas: quæ cum pari non sit contraria, nihilo tamen magis ipsum accipit, propterea quòd semper eius contrarium affert. Similiterq; binarius ad impar, & ignis se habet ad frigidũ, aliaq; quàm plurima. At uide iam, num ita definiendum putes, ut non modò cõtrarium non admittat contrariũ, uerùm etiam illud quod aliquid afferat cõtrarium illi ad quod ipsum accedat, ipsum uidelicet q̃d affert, nunquam contrariã eius quæ affertur recipiat formam. Rursus autem recordare: neq; enim inutile sæpius admonere. Neque quinque paris speciem admittent, neq; decem imparis, quod est duplum. Hoc quidem ipsum alij cõtrarium, speciem tamen imparis accipiet nunquam. Neque etiam numerus sesquialter, neq; alia huiusmodi quæ dimidium habent, formam totius suscipiunt: similiterq; numerus qui parem habet tertiam, atq; eiusdem generis alia, si modò assequeris ista, atq; consentis.

Omnino equidem consentio atq; assequor. Rursus tanquam à principio mihi dicas: nec tamen per id quod nunc interrogo, sed per aliud quiddam mihi respondeas, me imitatus. Dico autem, præter tutam responsionem illam à principio positam, iuxta tutam quoq; responsionem, aliam per ea quæ modò dicta sunt, adinuentam. Nempe si me interroges, ô Socrates, quid'nam in corpore sit, si calescet corpus, nõ tutam responsionem illam rudemq; tibi dabo, uidelicet si caliditas: sed exquisitiorem ex præsentibus uerbis, ut si insit ignis. Similiter si me interroges, quid si in corpore sit ægrotabit: non respõdebo si ægrotatio, sed si febris. Rursus si percontetis, quid si insit numero, fuerit impar: non dicam, si imparitas, imò si unitas: atq; in cæteris eodẽ pacto. Sed uide an dũ, quid uelim, planè cognoueris.

Planissimè. Responde igiť: quid'nam, si in corpore sit, erit uiuum? Si anima. Nónne id semper ita se habet? Semper. Anima igitur quicquid occupat, semper ad illud uitã affert? Affert proculdubio. An est aliquid uitæ cõtrarium, nec'ne?

Est utiq;. Quid istud? Mors. Anima uerò, contrariũ eius quod ipsa semper adducit, subibit nunquam: quemadmodum ex superioribus est concessum. Sic est omnino. Quid uerò? quòd paris ideam non accipit, quo'nam modo paulo antè nominabamus? Impar omnino. Quòd uerò non accipit iustitiã, quod'ue non capit musicam? Iniustum dicimus, & immusicum. Age iam, quod non subit mortem, quomodo appellabamus? Immortale.

Et anima quidem mortem non suscipit? Nequaquam. Est igitur anima immortalis. Immortalis quidẽ.

Age utiq;, hoc'ne iam demonstratũ dicemus? An aliter tibi uidetur?

Et sufficientissimè quidem, ô Socrates. Quid ergo Cebes? Si necesse foret, quod omnino est impar, & interitus nescium fore, nõ'ne tria interitus nescia forent? Quid'ni?

Præterea, si quod incalescere nescit,

scit, necesse foret interitus nescium esse, quãdo quis ad niuem calidum admoueret, nix quidem incolumis illiquefactaq́; subterfugeret: neq; enim uel periret, uel permanẽs calorem admitteret. Vera narras. Simili, ut arbitror, ratione, si quod frigescere nescium, etiã interitus nescium esset, quando in ignem aduentat frigus, nõ extingueretur & euanesceret ignis, sed abiret incolumis.

Ita necesse foret. Eodem pacto de immortali quoque necesse est dicamus. Si enim quod est immortale, interire nequit, impossibile est animam imminente morte perire. Nam mortem quidem, quemadmodũ ex superioribus constat, non recipiet, neq; interierit: quemadmodum ternarius nunquam, ut diximus, par erit, neq; rursus impar erit par, neq; ignis frigidus: neque caliditas quæ inest igni, frigiditas unquã erit. Cæterùm dicet quispiam, quid'nam prohibet, quo minus ipsum impar, par quidem non fiat adueniente pari, quemadmodũ inter nos conuenit: attamen eo dissoluto, par pro ipso succedat? Ita dicenti repugnare nõ ualeremus, quin sit destructũ. Quippe cum non idem sit impar atq; indissolubile. Alioquin si nobis id cõstitisset, facilè obtineremus, inuadẽte pari, impar ternariumq́; saluũ discedere. similiterq́; de igne & calido, cæterisq́; assereremus. Non'ne ita? Prorsus. Iam uerò de immortali, si nobis id constat quod est immortale, esse etiã interitus nescium, consequens est, animam præter id quod est immortalis, interitus quoque nesciam esse. Sin uerò minus id concedatur, ratione alia opus erit.

Sed nihil opus est, quantum ad id spectat, alia ratione. Siquidẽ quid'nam aliud indissolubile posset esse, si immortale ipsum et sempiternum dissolueretur? Deũ uerò, & ipsam uitæ speciem, & si quid aliud est immortale, indissolubile quoque esse omnes confiterentur. Vniuersi per Iouẽ homines, & multo magis ipsi, ut arbitror, dij. Cum igitur quod immortale est, etiam incorruptibile sit: quid'nam prohibet animã, si fuerit immortalis, incorruptibilẽ quoque fore? Necessariò sequitur. Imminente igitũ homini morte, quod mortale quidem in eo est, interit: quòd uerò immortale, incorruptũ, sospesq́;, morti se subtrahit. Manifestum est. Itaq; maximè omnium ô Cebes, anima immortalis incorruptibilisq́; est, eruntq́; apud manes animæ nostræ. Nihil equidem ô Socrates, aduersus hæc habeo, quo minus rationibus tuis assentiar. Verũ si quid aut hic Simmias, aut alius quisquam habet quod dicat, operæ preciũ fuerit non siluisse. Nescio enĩ in quod aliud quis differat tempus, si quid de rebus eiusmodi uel dicere uel audire desideret. Atqui nec ego, inquit Simmias, habeo quicq;, quo minus superiorib. assentiar rationibus. Veruntamen rei ipsius qua de agitur magnitudinẽ, & humanam imbecillitatem cõsiderans, cogor intra me dictis nondum acquiescere. Quinimmo & hęc bene dicis Simmia, & positiones primæ quamuis fide uobis dignæ uideantur, diligentius tamen considerandæ: atq; si illas sufficienter, ut arbitror, susceperitis, hanc sequemini rationem, quantũ fieri ab homine potest. quod si hoc ipsum fuerit manifestum, nihil ulterius perquiretis. Vera loqueris, inquit.

Collecto in Epilogi formam sermone uniuerso, quem Socrates & Cebes habuerũt, reliquam eius partem recenset adhuc Phædo, cum ait: Si hæc ita se habent, nónne quãdo Simmiam dicis Socrate maiorem. *Adhuc Socrates uarijs exemplis docere hic uult, omnia per ideam suam existere: ut si quid magnum, paruum, pulchrum, bonum, maius, minus, pulchrius, melius'ue sit, id quidem existat, non quia hoc ipsetum habeat, quod idem in altero, quo cum confertur, non sit: sed quòd participatione ideæ harum rerum idipsum existat. Id confirmat à repugnantibus postea, cum inquit:* At Simmiã confiteris excedere. *Hoc loco inductione docet, res non esse magnas uel paruas, ob discrimen*

ab alijs rebus: sed ob participationem ideæ, ex cuius similitudine habent id quod sunt. Nam si quid magnum esse dicitur, eò quòd magnitudinem in se habeat eam, quam in se aliud non habeat, idemq; paruum esset, eadem de causa esset quoq; idem magnum & paruum, quod utrumq; in magnitudinē eiusdem cadere non potest. Loquitur autem hic Plato de ipsa forma magnitudinis, quæ una est semper, ac sui similis: non de re magna aut parua, quæ ad aliud atq; aliud relata, tum magna, tum parua esse potest. Tota hac disputatione Socratis absoluta, Plato subijcit obiectionē quandam, sub persona cuiusdam anonymi, qui ibi aderat, ijs uerbis: Dij boni, inquit, non'ne in superioribus contraria eorum, &c. Quoniam in superioribus Socrates, dum immortalitatem animi tueretur, omnia fieri ex contrarijs docuit; ut magnum ex paruo, bonum ex malo, uitam ex morte: nuncq; in hoc loco magnitudinis formam ipsam dicat unam ac sui similem esse, nec posse fieri aut maiorem aut minorem: quærit ille, num ista quæ dixerit, sibi repugnent, nec ne. Cui Socrates respondens, & eius obiectionem diluens, quo pacto id sit intelligendum, docet his uerbis: Non tu intelligis differentiam inter id quod modò dictū est, atq; illud superius. Verum discrimen harum rerum ponit Socrates, docetq; minimè pugnare hæc inter se, quòd magnum ipsum, aut paruum, dicat unum ac idem esse, nec posse diuersa ratione tum magnum tum paruū haberi, atque illud, quòd omnia fieri dicantur ex contrarijs. Cum omnia, inquit, fieri ex cōtrarijs dicimus, sic illud intelligimus, ut medium illud, quod capax est cōtrariorum, modò unius, modò alterius contrarij particeps fieri possit: non tamen unum contrarium mutari posset in suum contrarium. Exempli gratia, corpus tum frigidum, tum calidum esse potest, si ex frigido calidum, aut ex calido frigidū reddatur. at ipsa frigiditas nunquā esse calor, aut calor frigiditas potest: neq; enim amittet nunquam naturam suam. Sic igitur est illud, quod suprà in disputatione de immortalitate animi docuit, intelligendum. Porrò nunc, cum dicitur aliquid magnum, non posse & magnum, & paruum esse: sic intellige, ut nihil sibi esse contrarium dicatur. Neq; enim si quid magnum est, continuò sit paruum: sic enim & sibi esset idem contrarium. nec si pulchrum idem, statim esset turpe: atq; eodēmodo reliqua nihil planè formæ suæ habere cōtrarium in se possunt, cum nihil sibimet aduersetur. Vno igitur uerbo obiectionem omnē acutè diluit Socrates, hoc modo: Tum quidē ô amice de his quæ habent contraria dicebamus, hæc illorum cognomine appellantes: at nunc de illis ipsis loquimur, quæ his insunt. Id est, aliud est res contrarij capax, aliud ipsum contrarium, siue contrarij forma rebus adhærens. Res quidem capax contrariorum fieri ex contrarijs potest, prout alterum illorum sit mutatum: at ipsa contrarij forma, seu contrarietas, ut sic dicam, mutari nunquam in suum contrarium potest. Hanc rem exemplis inducēdo Socrates probat apertius, in ijs quæ sequuntur. Primò in qualitatibus hoc pacto: Vocas'ne aliquid calorem? Secundò in numeris, pari & impari, sic: In hoc rursus tibi quod uolo, manifestius erit. Tertiò in uarijs numerorum formis, ut pari & impari, binario & ternario, atq; adeò reliquis omnibus. Ex his ergò omnibus, quid sit cōtrarium intelligi datur, tum quid res contraria, postremò nihil posse sibi ipsi contrarium esse. Quid autem sit contrarium, seu potius quomodo rerum formæ sibimet cōtrariæ esse non possint, docet in his: Vis'ne igitur hæc qualia sint, definiamus? Id demum contrarium esse uult, quod & sui simile semper sit, & contrarium suum nunquam in se recipiat: ut impar numerus nō modò imparitatem illam suam semper habet, sed neq; par esse unquā potest, quatenus ipse sit impar. Iam quòd res contrariorum capaces contraria diuersa possint suscipere, ea tamen non simul cohærentia, hic docet: Quod ergo definiendum assumpseram, qualia uidelicet sint, quæ etsi alicui non sunt contraria, ipsum tamen contrarium non admittunt. Id est, Contraria quidē simul in eodē esse nequeūt, licet res illorum capaces, tum unum, tum alterum uicissim capere possint. His omnibus explicatis, ad obiectionem diluendam, & contrariorum naturam explicandam, inde quoque Socrates aliam rationem ad immortalitatem animi tuendam adducit: reditq; ad institutum suum, à quo longius digressus est, ut ostenderet, quanta esset rationum physicarum infirmitas. Inde autem incipit iterum docere, nihil sibi aduersari posse, ut animam esse doceat immortalem, eo quòd uitam largiatur corpori, seu uita sit eiusdem, ac uita sibi esse mors nequeat. Ad id autem docendum Socrates assumit id quod & ante digressionem, & in ipsa digressione instituerat: nimirum omnia per suā formam substātialem existere, id est, per ideam, non per accidentariam, aut materialem, in ijs uerbis: Rursus tanquam à principio mihi dicas,

dicas, nec tamen per id quod nunc interrogo. *Probat ergo inductione, accidentariam formam non esse uerã rei cuiusq; causam, sed substantialem: tum eandem substantialẽ causam tanquam ueram et certam reddi debere, cum sit respondendum. Ut si dicatur, corpus calere, ægrotare, impar esse, uiuere: respondendum putat, quòd idem ignis formam in se habeat, nõ quòd calescat solum: tum quòd morbo aliquo ægrotet, nõ quòd malè ualeat: aut quòd ipsum numeris imparitatem facientibus constet, non quia imparitatem habeat: aut demũ quòd sit animæ particeps, cuius beneficio uiuat, non quòd uitam habeat duntaxat. En quomodo exemplis doceat, semper in causis reddendis essentialem formam inuestigandam, non accidentariam: quemadmodum hactenus cuncta in hac digressione docuit. Hoc posito, ad institutũ redit: id est, ad immortalitatẽ animi tuendam, in ijs uerbis:* Responde igitur, quid nam si in corpore sit, erit unum. *In hisce omnibus Socrates usque ad illa uerba,* Eodem pacto de immortali quoq; necesse est dicamus; *Inductione probat, formam essentialem alicuius rei ueram esse causam, cur eadem existat, tum sibi eandem cõtrariam esse non posse: quoniam in superioribus docuerat, iam nihil sibi contrarium esse posse. Ex his demum infert, animum esse immortalem, quando & forma corporis sit, quemadmodum in Timæo refertur: & eadem forma sui interitus esse nequeat, cum uita sit corporis. Atqui hoc est illud, quod Plato in ijs uerbis uult:* Si enim quod est immortae, interire nequit, impossibile est animam, imminente morte perire. *Id est, quando unum & idem sibi esse contrarium non potest, atque animum uitam, quæ morti contraria est, corporis esse constat: relinquitur sanè, eum mortalem nõ esse, quando uita mors esse nequit. Hoc ita confirmato, addit & obiectionem aliam Plato his uerbis:* Cæterùm dicat quisquam, quid nam prohibet, quominus ipsum impar, par quidem non fiat, adueniente pari? *Obiectio talis est: Quoniam ad immortalitatem animorum probãdam exemplo docuit, in numero impari nihil sibi esse posse cõtrarium: quærit nunc, an idem numerus impar, si dissoluatur, fieri posset par aliquando: id est, num aliquid mutari posset in suum contrarium, quando formã priorem amiserit: nam illam non posse amittere, tunc cum habet, dubium non est. Hanc obiectionem diluens Socrates, ideo inquit negari aliquam formam essentialem sibi non posse esse contrariã, non quòd ipsa aliquando dissoluatur, sed quia semper indissolubilis existat. Exempli gratia: impar numerus ideo dicitur posse nunquã esse par, quòd esse impar non desinat. Siquidem aliud est, rem esse parem: aliud, esse ipsum impar, siue formam imparitatis. Res quidem impar fieri aliquando par potest: imparitatis uerò forma, esse imparitas non potest. Quo fit, ut si suam semper formã retineat, immortale sit idem, & æternum. Hic intellige formas omnes rerum easdem semper esse, nec perire unquã, etsi cõmutentur ab uno subiecto in aliud, id quod uel Aristoteles nõ negat. Hoc posito tanquam medio syllogismi, concludit tandem Socrates, animam esse immortalem, cum forma sit corporis, eiusdemq; uita, nec forma unquam aut uita ipsa interire possit. Atq; illud est, quod Plato in ijs uerbis significat:* Iam uerò de immortali, si nobis id constat, quod est immortale, esse etiam interitus nescium: consequens est, animam præter id quod est immortalis, interitus quoq; nesciam esse. *Hæc est argumentationis superioris conclusio, in qua esse animam immortalẽ confirmat, eo quòd ex superioribus concluserit, eam morti non esse obnoxiam. Petitur autem hoc argumẽtum à repugnantibus, quando animus mortis esse nescius dicitur, quia sit immortalis, quemadmodum suprà dictum est. Quòd uerò idẽ animus sit immortalis, alia quoq; ratione probatur his uerbis:* Deum uerò, & ipsam uitæ speciem, & si quid aliud est immortale, indissolubile quoq; esse fatentur. *Hic formam omnem immortalem esse statuit; ideoq; animam esse talem, quia uitæ sit species, id est, forma & idea: quam αὐτὸ τὸ τῆς ζωῆς εἶδος Plato uocat. Quod uerò formæ sint æternæ, dubiũ nõ est: cũ forma priuatio sui esse nõ possit, quia contrariũ in contrariũ suũ nunquã mutatur: alioqui mũdus, & quicquid in eo est, periret, formis de medio sublatis. Idem ferè sentit Aristoteles, formas æternas esse confirmãs, quia indiuidua paulatim pereãt, quatenus forma ipsa priuatur: tum Plato idẽ in Timæo, qui æternæ ideæ imaginẽ, id est, formã substantialẽ, æternã quoq; esse ait, ut formã mundi, & animũ ipsum, qui forma est etiã. His absolutis, de immortalitate animæ, cõtinuò reliqui omnes philosophi Socratis socij eidẽ assentiũtur: licet ipse moderatione solita usus, non dũ se dicat adductis rationibus acquiescere, ob humanæ mentis imbecillitatem, & ne hac in re arrogans uideatur.*

PHAEDONIS PLAtonici pars tertia.

Hoc aiunt, ô uiri, iustum est cogitare, si anima sit immortalis, eam nō solùm temporis huius in quo uiuere dicimur, uerùm etiā uniuersi gratia, curatione plurimum indigere. Nam graue periculum fore putandum est, si quis neglexerit animam. si enim mors totius dissolutio esset, nimirum improbi lucrarentur, cum & à corpore, & ab eorum prauitate cum anima liberarentur. Nunc autem cum anima immortalis appareat, nulla superest malorum declinatio, nulla salus, nisi ut optima & prudētissima fiat. Nihil enim aliud, cum migrat ad manes anima, secum transfert, præter eruditionem atq; educationem. Quæ quidem statim in principio transmigrationis illius plurimū uel prodesse, uel obesse dicuntur. Ferunt enim quēlibet hinc illuc emigrantē, ab eo dæmone quē uiuens sortitus fuerat, in locū quendam duci, ubi oporteat omnes unà collectos iudicari, ac deinde ad inferos proficisci eo duce, cui mandatū erat ut hinc decedentes ad illa loca traducat. Sortitos uerò illic quæ oportebat sortiri, tempusq; debitum commoratos, ab alio quodam duce rursus huc reduci, post multos temporis longosq; circuitus. Est autem iter non tale quale ait Telephus apud Aeschylum. Ille siquidē, simplicem, inquit, uiam ad inferos ferre. Ego uerò, neq; simplicem, neque unam esse puto. Alioquin nullis ducibus opus esset. Quippe quum unica uia aberrare posit nemo. Quinimmo multos tramites multos'que anfractus habere. Quod quidē ex sacrificijs et ritib. cōiectare licet. Animus ergo moderatus & prudens, ducem sponte sequitur, neq; ignorat præsentia. Sed qui cupiditate corporis est infectus, quemadmodum suprà dixi, per multum tempus ad ipsum ardenter afficitur: & circa locum uisibilē multis reluctatus modis, multaq; perpessus, uix tandem ab eo adducitū dæmone, cui eius cura erat iniūcta. Cum uerò ad alia loca, ubi alij quoq; animi sunt, peruenerit, quisquis admodū immundus est, & huiusmodi obnoxius crimini, qui uel iniustis se contaminauerit cædibus, uel alia his similia, similiumq; animorum opera perpetrauerit, hunc quidem animum omnes fugiunt atque declinant: nec reperitur ullus, qui uel socius, uel dux eius fieri uelit. Itaq; omni auxilio destitutus, eò usq; pererrat, quoad certa temporum curricula impleantur. Quibus tandem impletis, in habitationem sibi conuenientē ab ipsa necessitate transfertur. Qui uerò puràm moderatamq; transegerit uitā, deos socios ducesq; nactus, ibi habitat, ubi unicuiq; conuenit.

SEBASTIANI FOXII MORZILLI Hispalensis in IIII. Phædonis Platonici partem Commentarij.

Confirmata immortalitate animi, continuò Socrates ad institutionem uitæ digreditur, ut omnes ad morum probitatē hortetur, propositis præmijs et pœnis uitæ posterioris. Quapropter cum immortalis anima sit, elaborandum esse inquit, ut uitijs extirpatis, eruditione ac probitate animus alatur, ut unà cum illo eruditio uirtusq; maneat. Itaq; si anima, inquit, morti esset obnoxia, hac certè in parte improbi bonis essent fœliciores, quod cum in hac uita iucundè uixissent, nihil essent postea malorum habituri: at cum bonorum aliquod præmium sit, & anima immortalis existat, enitendum est, ut eadem doctrina & uirtutibus imbuatur, quo unà cum illa semper eruditio migret ad manes, id est, ad alterā usq; uitam perduret. Hæc Socratis exhortatio eò uidetur pertinere, ut dicat, contendendum esse, ut à malo animus liberetur institutione, probitateq; uitæ, quando ex natura sua nihil mali aut caduci habeat. Et ut magis ad probitatem omnes inuitet, futuræ uitæ præmia, & pœnas hominum animis propositas commemorat, itemq; iudicium et examinationem factorum omnium, his uerbis: Quæ quidem statim in principio trāsmigrationis illius plurimum uel prodesse, uel obesse dicūtur. *Id est, quoniam ad manes animus nihil aliud secum, quàm uitæ probitatē aut*

uitium

uitiū defert: hæc quidem adeò ad illum pertinent, ut nihil magis uel noceat, quàm uitijs inquinatū hinc proficisci: uel prosit, quàm ire purgatum. | His propositis, quoniam reliqua huius sermonis pars narratione quadam absoluitur, ipsam nos breuiter percurramus. Quæ in re illa sunt maximè cognitu digna, & à nobis explicāda: primò, quid sibi uelit illa migratio ex hac uita ad inferos, in qua unaquæque anima à Dæmone proprio hinc abducitur, deducituŕq; inde rursus: secundò, quæ sit, aut quotuplex illa uia, per quam animi transeant, & quam eorum quisq; ingrediatur: tertiò demum, quo pacto cum ijsdem animis agatur in eo loco. Migrare hominū animos ex hac uita ad locum quendam, in quo rationem factorum suorum sint redditur i, sæpè Plato multis in locis docet: ut in fine Gorgiæ, in lib. de Legibus, & de Repub. in Apologia: in superiori disputatione, cū ait, Vetus quidem hic extat sermo, cuius memores sumus, abire quidē illuc animas defunctorum, rursusq; huc reuerti: alijs deniq; multis in locis. Et quanquam pro fabula Plato hoc dixisse uideatur, ut ferè poetas sequutus solet: tamen communi omnium opinioni & famæ antiquissimæ assentiens, id sibi ipse uidetur persuasisse, quippe qui pietati & religioni maximè omnium studuerit: præsertim cum libro decimo de Repub. eandem ferè rem narrans, si id ita, ut retulerit, uerè non sit, esse tamen aliquid huic simile, existimare se dicat. Porrò Dæmonas, ait, hominum animos illuc, unde descenderint ijdem, deducere: hac in parte Hebræorum sententiam sequutus, qui suum angelū, sicuti Christiani etiam fatemur, unicuiq; à Deo adiunctum putabant, eundemq; hinc ad superos ab eo deduci, si dignus fœlicitate uideretur. Quid uerò de dæmone proprio unicuiq; sentiendum sit, prolixè in Commentarijs nostris in Timæū docuimus: atq; id Plotinus & Apuleius in libris ea de re declarant. quanquā Lactantius & Tertullianus dæmonem illum, quo Socrates utebatur, fuisse quendam impurum, reliquis similem dicant, quibus flagitiosi homines ad superstitionem, præstigias, incantationes, aliaq; huius gēneris multa utantur. Qualis autem idem à Platonicis esse putetur, suprà retuli apertius, cum de Socratis agerem dæmonio. Iam uerò delatos ad inferos homines, inde postea ab alio duce in mundum reduci, exacto purgationis suæ tempore, Plato significat in ijs uerbis: Sortitor uerò illic quæ oportebat sortiri, tēpusq; debitum commorator ab alio quodā duce rursus huc reduci post multos temporis, longosq; circuitus.

Quod ipsum lib. 1. de Repub. sub Eri militis persona apertius declaratur. Ait enim, animos hominum, postquam è uita excesserint, atque ad inferos uenerint, per mille annos puniri, uel in tartaro, si fuerint inquinatissimi, posteaq; ad terras emitti: uel in Elysijs campis fœlicitate donari. Itaque nec pœnarum, nec fœlicitatis æternam durationem esse, uult Plato: quando animorū migrationem in uaria corpora sic tuetur, ut nunquam intermitti eam arbitretur, quemadmodum Plotinus de Animorum descensu in corpora, & Porphyrius, cæteriq; Platonici affirmant. Hinc Origenis natus ille error, putantis, ne damnatos quidem hominum animos, nec dæmones apud inferos perpetuò fore: sed aliquando purgatis scelerum sordibus, in gratiam Dei reuocandos, seruandosq;. Quod, uti falsum, ac nostræ religioni repugnans, à cunctis explosum est. Plato itaq; puniri ait animas singulas, pro iniuria quidem illata alijs decies centies, hoc est, cētum annorum spacio, quoniam hæc uitæ sit humanæ meta: eadem quoq; ratione & præmia tribui pro meritis unicuiq;, ait, bonorū. Cætera prolixius eodem in libro sub eiusdem militis persona recensentur. Ex hoc ipso etiam fonte arbitror illorum hæresin ortam, quos χιλιασὰς, id est millenarios uocant; qui (ut autor est Ephiphanius lib. 3.) post anastasin corporum dicebāt uice uersa uicturos probos in terris fœliciter unà cum Christo. quibus adhæsisse quoq; Lactantius Firmianus uidetur. Sed quænam uia illa est, qua animi ad inferos demittuntur, & quotuplex, & qui animi per illam descendunt? Hoc Plato in his uerbis ostendit: Est autem iter non tale, quale ait Telephus apud Aeschylum. Id est, uia quidem ad inferos non est una, ut ait Aeschylus sub persona Telephi, sed multiplex. Quoniam si una sit, omnibus esset peruia, & explorata: at egemus dæmone aliquo duce ad illam ingrediendam, ergo multiplex eadem est. Idem probatur ex sacrificijs, & ritibus ad eam rem accommodatis, quæ cum sint multiplicia, & uiam etiam ad inferos esse multiplicē sequitur. Quotuplex sit eadem uia, ex hoc loco Cicero lib. 1. Tuscul. refert, his uerbis: Itaq; disseruit duas esse uias, duplicesq; cursus animorum ex hoc corpore excedentium. Nam qui se humanis uitijs contaminassent, & se totos libidinibus dedissent, quibus obcæcati, ueluti domesticis uitijs atq; flagitijs se inquinassēt, uel in rep. uiolāda fraudes inexpugnabiles

expugnabiles concœpissent, ijs demum quoddam iter esse seclusum à concilio Deorum. Qui autem se integros castosq; seruassent, quibusq; fuisset pia cum corporibus contagio, sese ab ijs semper auocassent, essentq; in corporibus humanis uitam imitati deorum, ijs ad illos, à quibus essent profecti, reditum facilem patere. Ecce in ijs uerbis Cicero totam hanc Platonis sententiam commemorans, apertè exponit. Quòd autem ad inferos hominũ animæ deferantur, et ibi à uitijs expurgẽtur, tum alijs in locis, tũ lib. 2. de Rep. Plato refert copiosius, cum eundẽ illum Erum Pamphyliũ militẽ, quem dixi suprà, narrantem omnia duodecimo die, ex quo fuerat in bello cæsus, quæ apud inferos uiderat, inducit: ac dicentem, certa quædam esse loca, ad quæ delatæ mortuorum animæ examinentur ab Aeaco, Minoe, ac Rhadamanto, mittanturq; pro meritis ad purganda crimina, indéq; ad Elysios campos, uel ad ima Tartara deturbentur. Itaq; quamuis fabulosum esse id Plato non diffiteatur, tamen affirmare audet, si non hoc ipsum, aliquid tamen simile mortuorum animis euenire, postquam ex hac uita excesserint: idemq; in Gorgia, & Apologia, atq; locis alijs asserit. Quod imitatus M. Cicero in libris de Repub. somniantem Scipionẽ Aphricanum inducit, audientemq; ab auo suo Scipione eadẽ illa, quæ in Politia Platonis miles Erus narrat. Quin & Vergilius in sexto Aeneidos libro, Platonis totam hanc sentẽtiam sequutus uidetur, cum easdem quoq; animorum sedes apud inferos, easdemq; pœnas, & præmia constituit, quæ Plato. Triplicẽ præterea Plato idem conditionem animorum, tripliciaq; loca in eodem, quem dixi, libro commemorat, unam eorum, qui propter uitæ bonitatem, præstantiamq; non egeant purgatione, quiq; ad Elysios campos statim mittantur: alteram eorum, qui infecti uitijs aliqua ex parte, cum eò ueniant, Acheronte fluuio & palude Cocyti purgentur ad aliquod tempus, indéq; purgati ad eosdem illos campos mittantur: tertiam eorum, qui propter grauissima uitæ scelera ad Tartara deturbentur, nec inde nisi post longum tempus educantur. Hoc est illud, quod Plato his uerbis refert, cum ad inferos multas esse animorum uias inquit: animosq; ducem suum, id est, dæmonem, seu genium sequutos, recta uia eò proficisci, minimè quidem ignorantes præsentia, id est, nosse eos quicquid in inferno geratur: cumq; malorum animos ait diu errare, antequam à dæmone proprio ducantur eo quòd nullus alius animus ei comitem uelit se adiungere; itaq; illum necessitate quadam fatali, postquam diu multumq; errauerit, certum habere pœnarum modum ut à uitijs purgetur, indéq; ad pristinam uitã redeat. Quid uerò animis iam eo in loco cõstitutis eueniat, uel quæ sit eorum conditio, Plato in Gorgia, Apologia, atq; 10. de Repub. libro recenset, ne opus sit à me longius commemorari.

Multa uerò sunt, mirabiliaq; terrarum loca: ipsaq; terra neque talis, neq; tanta est, qualem aut quantam hi qui de terra loquunt̃, existimant, quemadmodum mihi à quodam traditũ est. Qua'nam ratione, inquit Simmias, hæc ais, ô Socrates? Equidem de terrarum orbe multa audiui: non tamen hæc quæ tanquam uera accepisse te ais. Libẽter igitur ex te audirẽ. Atqui ô Simmia, nequaquam mihi uidetur ars Glauci, quæ ea sint narrare: sed ꝙ uera sint probare, artis Glauci facultatẽ mihi uidet̃ excedere. Præterea ego forsan non sufficerem. Quinetiam si id scirem, hæc tamen uita mea, ô Simmia, longiori huic narrationi nequaquã sufficeret. Formam tamen orbis terræ, eiusq; loca cuiusmodi esse rear, nihil prohibet dicere. Satis erit, inquit Simmias. Persuasum mihi q̃dem est, primò si est terra in cœli medio rotũda, nihil ei opus esse uel aere, uel alia necessitate eiusmodi, ad hoc ut nunquã decidat. Sed ad eam sustinendã satis id esse, quod & cœlum undique sibijpsi simillimum est omnino, & terra undiq; æquilibris. Res enim æquilibris in similis alicuius medio posita, nec magis nec minus potest in partem aliquam inclinari. Cumq; similiter se habeat, ab inclinatiõe permanet aliena. Primò igit̃ mihi esse ita est persuasum.

Et rectè quidem, inquit Simmias. Præterea ingentem esse terrarum orbem, nosq; à Phaside ad columnas Herculeas, habitare in parua quadam eius particula, ceu formicas atque ranas circa paludes atque mare. Esse uerò & alios in similibus multisq; locis multos habitatores. Esse enim passim per terras multas uariasq; concauitates, secundum formas

mas & moles, in quas aqua, nebulę, aerq; confluant. Puram uerò ipsam terram in puro iacere cœlo, in quo sunt astra, quem plerique eorum qui hæc tractant, ætherem nominãt. Et quidē subiecta quasi residendo hæc esse, semperq; in hiatus terrę cōfluere. Nos itaque in his concauitatibus habitantes, adeò falli, ut in terræ superficie alta nos habitare credamus. Perinde ac si quis in profundo pelagi habitans, putet se altiora maris incolere: atq; solem cæteraq; astra, per mare prospiciens, mare ipsum esse cœlum existimet: quippe cum propter tarditatem imbecillitatemq; nunquã ad summũ maris euaserit, neq; caput undis extulerit, planeq; aspexerit quanto hic locus profundo illo purior pulchriorq; sit: quinetiam nec ab illo qui hunc intuitus sit, acceperit. Hoc igitur idem & nobis accidere, qui in quadam orbis terreni concauitate habitantes, altam incolere superficiē arbitremur: atq; aerem nominemus cœlum, utpote qui per ipsum quasi cœlum astrorum motus intueamur. Idq; nobis accidere ꝓpterea, quòd propter imbecillitatē tarditatemq; ad supremum usq; aerem transcendere nequeamus. Quòd si quis ad summũ euaderet, uel alis fretus eò uolaret, hinc prodeuntem inde iam prospecturum: quemadmodum pisces emergētes ē mari nostra hæc aspiciũt. Ac si natura ad aspiciēdum sufficeret, cogniturum protinus cœlum illud esse uerum, ueramq; lucē, ueram quoq; terram. Siquidem quę â nobis incolitur terra, hiq; lapides, totusq; hic locus abesa sunt atq; corrupta, ut ea quæ in mari sunt â salsedine. neq; nascitur in mari quicquã existimatione dignum: atque, ut ita dixerim, nihil est in ea perfectum, sed cauernæ, arena, limus incredibilis, atq; sordes, ubicunq; sit & terra. quæ quidem ad has nostras pulchritudines nullo modo sunt conferenda. Illius uerò loci pulchritudo hanc nostram multo magis apparebit excedere. Proinde si fabulam quoque narrare oportet perpulchram, operæprecium, Simmia, est audire, quales sint hæ terrarum plagæ, quæ subiacent cœlo. Imò uerò, inquit Simmias, libentissimè hanc fabulam audiemus. Ferunt igitur, ô amice, inquit, primùm quidem talem uideri terræ illius faciē, si quis supernè despiciat, quales sunt hæ pilæ quæ ex corijs duodecim contextæ sunt, uarijs scilicet distinctã coloribus: quorum hi nostri colores, quib. pictores utuntur, similitudinē quandam retinēt. Illic uerò uniuersam terram ex talibus, multoq; etiam nitidioribus ac purioribus esse, partim quidem purpuream, mira pulchritudine pręditam, partim uerò coloris aurei, partim gypso & niue candidiorem. Præterea ex coloribus alijs similiter exornatam, ac etiam pluribus pulchrioribusq; ꝗ in nostram notitiã peruenerunt. Enimuerò has ipsas ipsius cōcauitates, aqua aereq; repletas, speciem quandam coloris splendidã in primis afferre inter cæterorum oculorum uarietatē, ut una quædam species eius uaria semper appareat. In huiusmodi uerò terra conuenienti ratione similes nasci arbores, & flores, & fructus. Præterea montes & lapides ibidem simili ratione habere perfectionem atque perspicuitatem, coloresq; admodũ pulchriores. Quorum quidem particulę quædam sint lapilli, qui apud nos habentur in precio, sardia, iaspides, smaragdi, cæteriq; eiusmodi. Illic uerò nihil esse, quod non tale sit, aut etiã pulchrius. Cuius quidē rei causa sit, quoniam lapides illi puri sint, neq; quemadmodũ nostri â putredine salsugineq; attriti atq; corrupti: quibus in hunc locũ confluētibus, lapides et tellus animaliaq; et plantæ inficiuntur, atque ægrotare cogũtur. Terram uerò ipsam his omnibus exornari, atq; auro etiam & argento cæterisq; similibus. Præfulgentia quidem hæc ibi nasci et multa & magna, perq; omnem terram,

ut eam uidere spectatorum felicium sit spectaculum. Proinde ibi esse animalia multa, & homines partim regionem mediterraneam incolētes, partim circa aerem, quemadmodū nos circa maris littora: partim etiam insulas, quę haud procul à continenti positæ aere circumdantur. Sed ut summatim dicam, quod nobis aqua est, & mare ad usum nostrum, idem illic esse aerē: quòd uerò nobis aer, id illis ætherem esse. Tempora uerò apud illos tantam habere temperiē, ut illi & sine morbo continuè et longè diutius quàm nostri uiuant. Item uisu, auditu, prudentia, cæterisq; talibus nobis tantum præstare, quantum & aer aquæ, & æther aeri puritate præstat. Præterea illic esse deorū tēpla & lucos, in quibus reuera dij familiariter habitent, & responsa & diuinationes, deorumq; sensus familiaritatesq; eiusmodi hominibus ad deos esse. Solem quoq; & lunā stellasq; alias, quales reuera sunt, apud eos uideri: ceteris in rebus beatitudinem eos his rebus congruam possidere. Itaq; uniuersam terram sic natura institutā, & quæ circa eam sunt, similiter tradūt. esse præterea in ipsa per eius concauitates loca in circulum multa, partim quidem profundiora atq; ampliora quàm sit regio à nobis culta: partim uerò profundiora quidem, sed hiatum angustiorem habētia nostra hac regione: esse & alicubi minus profunda, sed ampliora quàm nostra. Hæc autem omnia sub terra sibi inuicem obuiare, atq; irrumpere multis undiq; modis, tum per angustiora, tum per ampliora, discursusq; habere et exitus, quibus magna aquarum copia ex alijs in alia uelut in crateres cōfluat. Item perpetuorū fluminum sub terra incredibiles magnitudines aquarum, tum calidarum, tum etiam frigidarum, plurimumq; ignem, & ignis ingentes amnes: multos quoq; lutulenti humoris partim quidē purioris, partim uerò sordidioris: ceu torrēs luti qui in Sicilia est, & iuxta ipsum amnes lutei inde fluentes. Quibus singula compleri loca, quacunq; eos contingit perfluere. Hæc autem omnia sursum deorsumq; ferri ueluti uase pensili quodā sub terram posito, atq; ita librato, ut utrinque uicissim inclinet atque attollat. Est autem id uas pensile ob naturā quandā eiusmodi. Vnus aliquis ex terræ hiatib. est profectò quàm maximus, perq; uniuersam terram traiectus & patens. de quo Homerus: Longè nimis barathrum stat sub tellure profundum. quod & ipse alibi, & multi poetarum Tartarum appellarunt. In hoc uti receptaculum omnia confluunt flumina, atq; inde rursus effluūt. Talia uerò sunt singula, per quales labūtur terras. Quod autem hinc effluāt omnia, rursusq; refluant, hæc est causa, quod hic humor nec fundamētum habet, nec firmamētum. Itaq; eleuatur, & sursum deorsumq; redundat. Idemq; facit aer & spiritus qui circa ipsum uersatur. Sequitur enim ipsum, & quando ad superiora terræ, & quando ad hæc nostra perlabitur. Et quemadmodum in respirantibus flatus continuè expirat atq; respirat, sic & ibi spiritus unà cum humore elatus, uehementes quosdam uentos & incredibiles commouet, siue influat siue effluat. Quapropter cum aqua in locum inferiorem delabitur per meatus terræ iuxta eiusmodi riuos influit, passimq; per eos exūdat, & implet uelut hi qui hauriunt. Cum uerò illinc huc erumpit, hæc quoq; iterum loca complet. Plena uerò cum sint, per riuos terræq; meatus exuberat. Et cum humores singuli illuc profluxerint, quo quisque profluit opportunius, maria, lacus, flumina, fontes efficiūt. Proinde rursus hinc relabentes per terram, partim quidem per longiores pluresq; anfractus, partim uerò per pauciores atq; breuiores rursus in Tartarum confluunt: alij certè multo profundius quàm hausti fuerint, alij uerò paulo, omnes autem inferius influunt

quàm

quàm effluxerint: & alij per contrariam partem elabuntur quàm elapsi fuerint, alij uerò per partem eandẽ. At quidam paſsim circumfluentes aut ſemel aut ſæpius, ſpiraſq́; circa orbem terrarum inſtar anguium replicantes, quãtum fieri poteſt, infrà relapſi iterum commiſcentur. Licet autem utrinq; ad medium uſq; defluere, ultra uerò nequaquam. ulterior enim prolapſus utrinq; foret aſcenſus. Proinde ſunt & alia multa & magna uariaq́; fluenta, ſed præcipua quatuor.

Inferorum pœnas ac formam hactenus commemorauit: nunc locum eorundem deſcribit. ait enim, audiſſe ſe quidem, terram eſſe quandam mirabili amplitudine, longè ab hac noſtra terra, quam incolimus, diuerſam: qua cũ huius noſtræ ſitum & latitudinem conferens, multis illam partibus huic noſtræ antecellere dicit. In primis autem huius noſtræ ſitum deſcribens, cauſam reddit, cur eadem ſit in medio mundi ſita: non, cur aliquam in partem moueatur, quemadmodũ Platoni falſò Ariſtoteles tribuit libro 2 de Cœlo, ſententiam illius è Timæo recitans, Proclo ac Simplicio atteſtantibus. cuius nos obiectionem lib. 2. Comment. in Timæum diluimus. Terram uerò ipſam ſtare, ut Ptolemæi, cæterorumq́; argumenta prætermittam, quia mole ſua deorſum, id eſt, ad locum illum in quo eſt, ſemper feratur, nec dimoueatur inde, ne, ſi moueatur, contra naturã ſuam ſublime peteret, non modò Ariſtoteles probat, ſed & Plato etiam, tum in Timæo, tum in hoc loco. Illud enim uerbum ἰλλομένην, ut annotat Simplicius, hic fixam & alligatã axi mundi terram eſſe ſignificat. Qua in ſignificatione etiam ἰλλομένην in Timæo accepit Plato idem. Nec uerò audienda eſt eorum ſententia, qui cum moueri terram, cœlo ſtante, uelint, ad ſuam opinionem temerè Platonem trahere conantur, ne & ipſi ſentire perperam, & abſurdè tanti uiri autoritate innixi uideantur: nec etiam Pontici Heraclidis contentioſa contra Ariſtotelem pro Platone defenſio, cum uterq; philoſophus idem planè ſentiat. licet more ſuo Ariſtoteles uel ad uerba Platonis, non ad ſenſum argumẽtetur, uel eiuſdem ſenſum (ut aliàs fecit) deprauet, ſumatq́; occaſionem cauillandi: qua non modò in Platonem præceptorem, ſed etiam in alios utitur ſæpe.

Iam quia ſitum huius noſtræ terræ Plato deſcripſit, eiuſdem partem habitabilem commemorat his uerbis: Prætereà ingentem eſſe terrarũ orbem, noſq́; à Phaſide ad columnas Herculis habitare, in parua quadam eius particula. *Anguſtos fines habitationis noſtræ deſcribit Plato, quando illam partẽ, quæ à Phaſide ad columnas Herculis eſt porrecta, habitari ſolum ab hominibus dicat, circa littora & orã maris, ueluti ranis propè ſtagna & paludes commorantibus. Sed quoniam multis etiam alijs in locis diuerſa loca habitantur, addit & illa:* Eſſe uerò & alios in ſimilibus, multiſq́; locis multos habitatores. *Addit tertio loco aliud eiuſdẽ terræ uitium, quòd impura ſit, alijſq́; elementis admixta, quando in ea latæ ſint cauitates aere, aqua, nebuliſq́; plenæ: id quod experimento cernimus multis in ſpecubus, et aquarum fontibus, ac riuulis. Quibus ex rebus fieri Plato uult, terram hanc noſtram magna ex parte incultam eſſe, eandemq́; impuram, utpote alijs elementis admixtã. nam pura ſi eſſet, nec humoris, nec caloris, nec aeris admixtum quid haberet: quod contrà cernimus. Animaduerte hic obiter artem Glauci referri, ad difficultatem huius narrationis de terra pura oſtendẽdam. ait enim, narrare ſe quidem uelle, qualis pura hæc terra ſit, artis id eſſe Glauci: id eſt, exquiſitæ induſtriæ et laboris, probare poſſe argumentis, huiuſmodi aliquam terram, de qua ſit dicturus, extare, quãdo ipſam artẽ Glauci, id eſt, induſtriã omnẽ id ſuperet. Ars Glauci, prouerbij forma quædam eſt, quæ induſtriam exquiſitam, & elaboratum aliquid ſignificat. Vide Eraſmi Chiliades. Hunc ipſum locũ de anguſtijs habitati orbis noſtri, Cicero apertè in ſomnio Scipionis transtulit, ſi rem bene perſpicias, his uerbis: Vides habitari in terra, raris & anguſtis in locis: & in ipſis quaſi maculis, ubi habitatur, noſtras ſolitudines interiectas. Pergit poſt hæc Plato, ut his uerbis doceat, quantum ſit diſcriminis inter puram terram illam, & habitabilem hanc noſtram.* Puram uerò ipſam terram in puro iacere cœlo, in quo ſint aſtra, quem plerìq; eorũ qui hæc tractant, ætherem uocant. *Id eſt, terra quidem illa pura, de qua ſum dicturus, non eſt infecta, ſicuti hæc, quam incolimus: ſed puriſſima, & in ipſo æthere, in quo aſtra ſunt omnia, poſita: eademq́; eminens, ac ſublimis, non ut hæc noſtra, in qua nos ueluti quibuſdã in conuallibus aut ſpecubus profundiſsimis uerſamur, libero aere ac cœlo carentes. Itaq; in his quæ ſequuntur, huius noſtræ terræ uilitatem deſcribit, ut puræ illius decorem*

corem & puritatem laudet. Hic obiter nota illud prouerbium, Nihil dignum in mari nascitur, afferri, ut terram hanc nostram impurissimã esse doceat: cum eius partes omnes sint ualde impuræ, & infectæ uarijs contagionibus, ut mare salsum, specus multos aquis, nebulis, & uentis sæpe pestiferis exhalantes, aliaq; generis eiusdem. Descriptionem autem ipsam terræ illius purissimæ, quam animæ fœlices incolant, in ijs uerbis incipit Socrates afferre: Feruntigitur ô amice, inquit, primùm quidem talem uideri terræ illius faciem, si quis supernè despiciat. Hanc de terra pura fabulam esse Plato putauit, ac poetæ ferè omnes, cũ de campis Elysijs loquuntur, qui ijdem cum hac terra esse uidentur, ut lib. 6. Aeneidos Vergil. alijq; poetæ significant. Hanc terrã ipsam, quæ sedes beatorum Platoni sit, Paradisum esse illum, cuius mentionem faciat Moyses, multi arbitrantur, tanquam hæc Plato ab Aegyptijs accepta fabulosè narrarit, audita fortaßis Paradysi terrestris mentione. cuius sententiæ permulti uiri magni cumprimis, & sancti sunt, ut Iustinus martyr in Parænesi ad Græcos: qui cum multa dicat Homerum in Aegypto peregrinantem è Iudæorum doctrina accepisse, eadem etiam de Paradiso terrestri, quæ Moyses scripserit, ipsum in hortis illis Alcinoi expressisse ait: ex quo & Plato, et cæteri hoc mutuati uideantur. Idem confirmat Origenes lib. 7. contra Celsum, docens, hæc quæ de terra pura seu Paradiso dicat, è Moyse sumpta esse, nõ Moysen à Platone accepisse. Horum ego sententiæ non magnopere repugno, cum uideam aperta uestigia uerborum ex Genesi apud Platonem hîc desumpta, & fabulis atque opinionibus falsis inuoluta: ut sunt ferè reliqua, quæ ab Hebræis Græci, aut Aegyptij accepere. Macrobius item lib. 1. in Somn. Scip. cap. 11. sententias Platonicorum de sedibus animorum enumerans, inferos ait ab illis dici inferiorem hanc mundi partem, à lunæ globo usq; ad terram, quod eadẽ sit mutationibus multis obnoxia: superos uerò, omne illud quod à primo cœlo usq; ad lunæ globum sit interiectum: atq; ita superiorẽ ipsam partem ætheream terrã uocari, cui & reliqua quoque elementa in ipso cœlo esse adiuncta putent. Nam & lunam ætheream terrã uocabant, Mercurium aquam, Venerẽ aerem, Solem ignem: eodemq; ordine repetito, aplanem sphæram esse terram superiorem, Saturnum aquam, Iouem aerẽ, Martem ignem. In hanc ergo terram cœlestẽ animos fœlices abire, Platonici sentiebant, quemadmodum idem refert Macrobius. Nec uerò hæc repugnabunt superiori sententiæ, in qua dicebamus, per terram hanc puram intelligi posse Paradisum, cum & ipsum Paradisum multi ex Christianis Theologis in cœlo posuerint, nec pauci ad allegorias transtulerint. Nam et Gregorius Nazianzenus, per plantationem illam Paradisi in Edem, intellectilem uitam fœlicium animorum intelligit: idemq; sentit Philo in lib. de Mundi opificio, multisq; alijs in locis. Alij contrà in terra ipsa ponunt Paradisum: quorum maior est numerus, & sententia probabilior, & uerior. Vniuersa hæc Platonis narratio facilis est, & perspicua, ideoq; longa explicatione non eget. Illud porrò difficultatis aliquid potest adferre, quod ait: esse in eius terræ medio gurgitem quendam aquarum, ueluti uas pensile in medio consistentem, quem Homerus tum Barathrũ, tum Tartarum appellet, ex quo ueluti fonte, aquæ omnes per terram defluẽtes dimanent, uel per occultos eius meatus quasi uenæ quædam digressæ, eædemq; aut calidæ, aut tepidæ, aut diuersarum formarum, uel per ipsam terræ planiciẽ conspicuæ. Ex hoc ergo Tartaro aquas omnes oriri, & per terras diffundi, aut redire illuc rursus ut in mare quoddam, Plato censet, commotione quadam ab interno spiritu facta in ipso Tartaro, qui aquas ipsas tum egerat, tum recipiat: ut in respiratione fit, in qua aer hauritur & expiratur, commotione facta pulmonum. Hoc igitur eo in loco significat, inquiens, ut in respirantibus halitus continuò exhalat, atq; exspiratur: sic ibi, spiritus unà cum humore elatus, uehemẽtes quosdam uentos, et incredibiles cõmouet, siue influat, siue effluat. Hoc loco uidendũ est, quis sit aquarum omnium fons: deinde an huiusmodi sit Tartarum in terris, necne: postremò, quæ nam istæc sit terra, in qua tartarum existat. Aristoteles lib. 2. Meteor. fluminum originis causas exponens, esse ait uapores quosdam humectos, uel ex ipsa terra exhalãtes, uel ex aere subeunte collectos, in editis terræ locis multos, qui frigiditate terræ craßi facti, in guttulas aquæ liquescant, ortumq; fontibus ac fluminibus præbeant, præsertim si magna sit eorum copia, & fluuiorum aut torrentium, aliarum'ue aquarum fiat accessio. Quod autem hisce ex uaporibus fontes ac flumina nascantur, inde probat, quòd pleræq; ex montibus dimanent, in quibus & maior uaporum copia includitur, ob celsitudinẽ, & semper uapores multi excitãtur, ne uacuum relinquatur, si uaporum eiusmodi efflatus, & in aquas mutatio intermitte

retur,

retur. Hæc est Aristotelis sententia de fluminum & fontium origine. Porrò Plato quid sentiat, perspicuum est, cum ex eo Tartaro, id est magno aquarum fonte in terræ medio posito, aquas omnes per uenas quasdā oriri occultas, indeq; ad fontes & flumina digredi putat. Hanc eius sententiam Aristot. lib. 2. Meteor. cap. 2. refutat, cum causam salsuginis maris inquirit. negat enim fieri posse, ut è Tartaro illo, id est, aquarū origine sub terris latente, flumina erumpant: cum non uideat, illum ipsum Tartarum, quod is aquarum ingentem uim et copiam esse non diffitetur, nihil aliud esse, quàm uim illam humoris terræ cauernis inclusam, ex qua ueluti per uenas humor omnis dilabatur, exundetq; tū in fontes, tū in flumina: cumq; nullā aliam huiusmodi aquarū originē commodiorē inuenire, & quæ abundantius aquam suppetat, possimus: præsertim cum Ecclesiastic. cap. 1. probari id possit, cuius hæc sunt uerba: Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locum unde exeūt flumina reuertuntur, ut iterum fluant. En quomodo aquas omnes & oriri ex mari, & illuc redire inquit. Quod si autem hinc oriuntur, uideamusq; fluminum & aquarum omnium origines manifestas in terris, non è mari prodeuntes, necesse profectò est, Tartarum hoc in medio terrarum poni: hoc est, magnam aliquam uim aquarum, uel per terræ uenas diffusarum, uel in uno loco coniunctarum: ex qua fontes, flumina, lacus, putei, scaturiginesq; omnes aquarum oriantur. Confirmant hoc fluminum multorum ac fontium ortus, è planis locis enascentes, tum lacus multi, & putei omnes: postremò, quòd nec tanta uaporū copia tanto aquarum flumini posset sufficere, præcipuè in locis calidis, in quibus ijdem potius exarescunt, quàm in humorem abeunt, qui ut fiat, uapor quidem crassescere, frigescereq; debet: quando aerē, ut in aquam mutetur, frigescere, densariq; oporteat. Quin & Hebræorum Theologia Platonis hanc sententiam confirmat, ex ijs præsertim Moseos uerbis deducta, Genesis 2. Sed fons ascendebat è terra, irrigans uniuersam superficiē terræ. Quo in loco alij sententiam prophetæ ad Aristotelis dogmata accommodātes, per fontem illum nubem intelligūt, aut uapores à terra ascendētes, ex quibus aqua pluuia gigneretur. alij fontem pro fontibus capi putant: itaq; ex ipsis terræ uisceribus nasci eos dicunt, ut terram irrigarent. Quam interpretationem Philo lib. de Mundi opificio sequitur: aitq; terram multas aquarum uenas continere: quas expromat sæpè, ueluti in fœminis mammæ lac egerunt. Eandem confirmant non pauci è nostris ueteribus Theologis, quos enumerare hîc longum esset. Quibus ex rebus patet, multas esse in terris aquarum uenas, ex quibus flumina, fontes, scaturiginesq; omnes nascātur: id quod Plato censet. Vtrum uerò eædem illæ uenæ communi nomine Tartarum, aut Barathrum appellentur, nec ne: & an ipsæ sub terris occultæ sint, an nō: parum interest, modò aquas omnes non ex uaporibus, sed ex terræ uenis oriri teneamus. Hoc præterea Tartarum Plato, quanquam in terra illa pura constituat, tamen unà putat, & illam ipsam terram, & hanc nostram, eandem esse: nisi quòd huius pars quædam sit illa, quæ pura, nitidaq; existat, & animarum fœlicium locus. Qua in re, uti antea diximus, Paradisum apertius possumus intelligere, quia idem in nostro hoc orbe fuisse dicitur à Moyse. Et quanquam aliam esse solem, aliasq; stellas, & reliqua omnia longè puriora Plato dicat in ea terra: id tamen sic est intelligendum, ut putet illam ipsam cœli plagam, cui eadem terra subiecta sit, fœlicissimam esse, & hac nostra longè præstantiorem: qualem poetæ in Elysijs campis depingunt. Confirmat hanc sententiam Vergil. lib. 6. Aeneidos, dum Elysios campos & inferos describit, Platonem ipsum imitatus: siquidem ea omnia in terræ parte quadā constituit. Iam quas Platonici afferre solēt in hunc locum allegorias, de cœlesti hac terra, quam in duodecim plagas, id est 12 Zodiaci signa diuidunt, cæteraq; his similia prætermittamus, cum ad Platonis intelligentiam parum conducant: & ea sint à philosopho prorsus aliena, qui ueritatem rerum, non umbram, ut cæteri, consectari debeat.

Quorum quidem maximum atq; extimum, terram circundans, Oceanus appellatur. E' cōtraria uerò huius regione fluit Acheron: qui per deserta alia fluens loca, atque per subterranea, in paludem defluit Acherusiam. Quò plerique defunctorum deueniunt animi, ibi'que per fatalia quædam temporum curricula commorati, partim quidem longiora, partim uerò breuiora, rursus in generationes animalium relabuntur. Tertius uerò fluuius horū medius duorum interfluit. Nec admodum longè progressus, in locum cadit uastum, multo igne flagrantē, efficitq; paludem nostro mari maio

rem, aqua lutoq; feruentē. Hinc uerò turbidus lutulentusq; circūfluit, terraq; circumdata, et alibi, et ad extrema paludis Acherusiæ peruenit: nec tamen illius aquæ miscetur, sed sub terra sæpius reuolutus absorptusq; defluit infra tartarum. Hunc fluuium Pyriphlegethontem nominant, cuius riui quidam inde uelut euulsi, quacunq; terrarum contigerit, manant. E' contraria uerò huius regione fluuius quartus primùm in locum erumpit ferum & asperū, ut ferunt: colorē uerò locus talem habet totus, qualis est cyaneus: quem Stygium nominãt. hic autē fluuius prolapsus, paludem efficit Stygem. In hunc uerò incidens locū, uiresq; uehementes in aqua assumens, sub terram se condit, circumuolutusq; aduersus Pyriphlegethontem labitur, & in Acherusia palude è cōtraria parte illi fit obuiam. Nec ulli huius aqua miscetur, sed reuolutus in gyrum contra Pyriphlegethōtem, irrumpit in tartarum. Poetæ uerò hunc appellãt Cocytum. Cum uerò hęc ita natura disposita sint, quando in eum locū defuncti peruenerint, quò dæmō unumquenq; perducit, primò illic iudicantur, & qui honestè sancteq;, & qui aliter uixerint. Itaque quicunq; in uita quodammodo tenuisse medium quoddam comperiūtur, ad Acherontem profecti uehiculis, quæ unicuiq; adsunt, in paludem perueniunt Acherusiam, ibiq; habitant purganturq; pœnas dantes iniuriarum: & cum purificati sunt absoluūtur, rursusq; pro merito singuli benefactorū præmia reportant. Qui uerò ob scelerum magnitudinē insanabiles esse uidētur, qui uidelicet sacrilegia multa & magna, uel cædes iniquas, uel alia horum similia perpetrauerint, hos omnes conueniens sors mergit in tartarum, unde nunquam egrediuntur. Qui autem sanabilia quidem peccata, sed ingentia commiserunt, ueluti si qui cōtra patrem uel matrem irati, per uim aliquid fecerint, sed pœnitentia ducti eos in cætera uita coluerint, uel qui simili quodā pacto fuerint homicidæ, eos in tartarum quidē necesse est cadere, sed ibi per annum commorati à fluctu eijciuntur: homicidæ quidē per Cocytum, parentum uerò uiolatores per Pyriphlegethontem. Postquam uerò ab his delati fluminibus ad paludē Acherusiam peruenerunt, clamant illic, uocitantq; eos quos uel necauerunt, uel iniurijs affecerunt: suppliciterq; rogant atq; deprecantur, ut eos permittãt progredi per paludē, ibiq; absolui: ac si impetrauerint, penetrant illuc, finemq; malorum accipiunt. Sin minus queant persuadere, referuntur in tartarum, atq; inde rursus in flumina: neq; per hæc mala deferri prius cessant, quàm ab his quos affecerant iniurijs impetrauerint. Hæc enim pœna illis à iudicib. est imposita. Qui autem piè præ cæteris uixisse inueniūtur, hi sunt, qui ex his terrenis locis tanquam è carcere soluti, atque liberati, ad altiora transcendūt, puramq; supra terram habitant regionem. Inter has autem quicunq; satis per philosophiā purgati sunt, absq; corporibus omnino totum per tempus uiuūt, habitationesq; his etiam pulchriores nanciscuntur. Quarum pulchritudo, neq; facilis dictu est, neque pręsens tempus ad dicendum sufficeret. Sed horum quæ narrata sunt gratia, ô Simmia, omni studio est adnitendum, ut in hac uita uirtutem & prudentiam sapientiamq; cōsequamur. Præmiū nanque pulchrum est, & spes est ingens.

Pergit Plato describere locū illum à nostro orbe remotum, in quo animæ beatorum sint, uel infœlicium etiam hominū, & malorū. Itaq; cum Tartari ortum & situm descripserit, nunc flumina inde enascentia, & infernum præterfluentia describit, poetarum figmenta sequutus: tum eiusmodi ænigmatibus pœnas & præmia bonorū & malorum ob oculos ponens, ut hoc in loco facere instituit. Ait ergo, quatuor fluuios ex eo magno Tartaro oriri: primum Oceanum istum, qui non solùm ipsi Platoni terram omnem ambire,

sed & Plinio, & Ciceroni, atq; alijs autoribus dicitur: tum Acherontem, deinde Pyriphlegethontem, qui ambo in Acherusiam paludem influant: postremò Stygium, qui Stygiam efficiat paludē. Horum fluminum situm, & magnitudinem, naturamq; Verg. lib. 6. Aeneidos accuratè depingit. Quæ omnia & eidē illi, & poetis relinquamus. Nos tantum hîc gradus pœnarum à Platone designatos enumeremus, atq; explicemus. Ait itaq; primùm, in Acherusia palude plerosq; defunctorum animos per fatalia quædam temporum spacia, uel longiora uel breuiora, commorari, indeq; in animalium generationem relabi. secundò, iudicari hac in regione animas ipsas à dæmonibus abductas, tam bonorum quàm malorū, atq; mediocrium: & mediocres quidem ad aliquod tempus purgari in Acherusia, uehiculis quibusdam delatos, posteaq; pro meritis affici præmijs. Contrà sceleratos & malos in tartaro mergi, nec inde unquā egredi: item eos qui uel magnis flagitijs commissis pœnitentiam egerint, esse quidem in Tartaro ad annum: postea tamē ad Acherusiam peruenire, orareq; iudices ut eò purgandi causa mittantur: mittiq; aliquando, si iudices exorētur: aliquando uerò in Tartarum reduci. postremò, piorum mentes, ut philosophorum, & eorū qui uirtute se purgarint, & doctrina excoluerint, mitti ad terram illam puram, & cultam. His dictis, ad prudentiam & uirtutem Socrates Simmiam hortatur, ut ad ea loca post mortē peruenire possit. Sed ut omnia commodè explicentur, uideamus, qui gradus animorū hi sint, et quibus quiq; præmijs aut pœnis digni putentur: tum loca, in quibus eadem patiantur, & quid quisq; ferat.

Quatuor hic animorum conditiones post uitam ponuntur: una eorum qui probi sint, & puri: altera mediocrium, qui leuibus uitijs sint inquinati: tertia eorum qui grauia quidem scelera commiserint, tamen pœnitentiam egerint: quarta sceleratissimorum, et peruersissimorum. Prima in ijs uerbis indicatur: Qui autem præ cæteris uixisse inueniuntur. *Secunda in illis:* Itaq; quicunq; in uita medium quoddā tenuisse quodammodo deprehenduntur. *Tertia in his:* Qui autem sanabilia quidē peccata, sed ingentia commiserunt. *Quarta demum in his:* Qui uerò ob scelerū magnitudines, insanabiles esse uidentur. *Ex horum ergo animorū numero, primi ad Elysios campos, seu ad superos efferūtur, ibiq; Dei fiūt, ut Plato lib. 10. de Repub. refert: atq; ad cōsimile sibi astrum in cœlo positum applicantur, utidem ait in Timæo. Secundi uehiculis quibusdam ad Acherusiam paludem delati, purgantur à sordibus, contagioneq; uitiorum, quousq; præmijs factorum suorum afficiantur. Per uehicula autem hæc illas intellige corporeæ materiæ sordes, quas Plato dixit in Timæo animis adhærere ex igne, aere, aqua, terra: id est, ex sensilium rerum contagione. Hæc porrò uehicula esse, inquit ea, quæ mediocriū animos deferant ad Acherusiam paludem purgandos, quia propter eadem ipsæ animæ in Acherusiam paludem mittantur: quemadmodum & cum dicimus, uirtutes deferunt in cœlum homines, uitia in infernum. Quæ autem uehicula sint hæc, & quot eorum discrimina, latius in Comment. in Timæum diximus. Iam tertij grauissimis pœnis in Tartaro per annum puniuntur, postea in Cocytum demittuntur: quia ducti pœnitentia delictorum, ultra annum puniri non debuerunt. Ex ipso uerò Cocyto, si iudices sint exorati, ad Acherusiam mittuntur, unà cum ijs qui sint purgandi, et præmijs tandem afficiendi: uel reducuntur ad Tartarum, si uenia digni non iudicentur. Postremi omnium in Tartaro perpetuò sunt, ibiq; grauissimis supplicijs affecti, per decem annorum millia, ut in libro de Repub. Plato refert, ad corpora iterum mittuntur. Hæc est animorum post mortem conditio, ex Platonis sententia: quam non solùm hîc ipse describit, sed etiam in Apologia, et Gorgia, sparsimq; alijs in locis, itemq; in Ciuili seu de Regno, cum de Saturni ætate illa aurea loquitur. Ait enim, reuiuiscere ex mortuis homines, & ex his rursus mori, eorumq; animos ad loca quædā certa euehi, indeq; ad terras delabi. Quæ omnia, ut præclarè Theodoretus in libro Græcarum affectionum docet, ac Iustinus martyr, eò pertinēt, ut doceat, certa quædam esse præmia bonorum animis ex hac uita excedentibus, aut etiam supplicia prauis & sceleratis posita. Quæ ipsa cum nostra religione maximè cōgruunt, quæ cum & animas immortales esse, et Dei prouidētia hunc mundum administrari doceat, necessariò de præmijs atq; pœnis sermonem habet.*

Hæc igitur eo se pacto prorsus habere, quo ego disposui, non decet uirum sanæ mentis asserere: esse tamen uel hæc uel talia quædam circa animos nostros, eorumq; habitationes, quandoquidē animus ipse immortalis apparet, & decere mihi uidetur, & dignum quasi periclitan-

tes ista existimare. honestū enim periculum est, oportetq; hæc quasi carmina quædam magorum ritu mentibus nostris infundere: quamobrē ipse iam diu protraho fabulam. Sed horum gratia bonā spem de animo suo habere debet, quicunque uoluptatibus ornamentisq; corporis neglectis, tanq; alienis, ad diuersumq; declinantibus, uoluptates quę in discendo percipiuntur, studiose sectatus fuerit: animumq; nō alieno, sed suo decorauerit ornamento, temperantia, iustitia, fortitudine, libertate, ueritate, sic ex hac uita migrationem expectans, tanquā cum fatum uocauerit migraturus. Vos quidem ô Simmia et Cebes, alijq; præsentes, in posterum quodam in tempore singuli transmigrabitis. Me uerò nūc, ut tragicus aliquis diceret, iam uocat fatum.

Quoniam fabulam hanc Socrates de terra pura, siue cāpis Elysijs, deq; pœnis et supplicijs exposuit, ne illud uideatur tueri, quod est à physico alienum, expolitione quadam eleganti usus, esse quidem eadem, sicuti dixit, negat se affirmare: alium tamen locum se tradere huic rei respondentem, in quo & pœnæ et præmia humanis animis sint proposita: quando & animos esse immortales, et post mortē ipsos remanere probarit. Qua in re mirum est quanta sit ueritatis uis, cum uel gentes ueræ religionis expertes, proposita esse pijs præmia, cōtraq; malis supplicia crediderint: quamuis hanc rem fabulis multis poetæ obscurarint. Atqui hanc etiam sententiam ab Hebræis Platonē mutuatum, ut alias permultas, nō solum res ipsa, sed multi è Christianis Theologis fatentur. Quorum è numero sunt, Theodoretus in libris Græcarum affectionum, Iustinus martyr in Parænesi ad Græcos, Clemens Alexandrinus in libro Stromatum, & Origenes, atq; alij. Nec mirum id quidem: cum Plato multa è sacris Biblijs, non quòd legerit, sed quòd ab Aegyptijs, quibus erant nota, non pauca audierit, acceperitq;, teste etiam Augustino lib. 6. de Ciuitate Dei, cap. 11. Cumq; Pythagoras, à quo ille omnem ferè disciplinam accepit, referente id Origene lib. 1. contra Celsum, ex Hecatæo ac Philone autoribus, philosophiam suam à Iudæis mutuatus sit. Huc quoq; pertinent alia dogmata & uerba, ab eodē Platone uarijs in locis desumpta è nostra religione, quæ tum Cyrillus in libris contra Iulianum, tum Theodoretus, tum alij autores commemorant: quæ huc afferre, ne longum faciam, nunc nolo. Sed ut ad propositam redeamus explanationem, cùm præmia esse quædam, et pœnas, ab hac uita excedentibus, hactenus dixerit Socrates, tum more suo Cebetem ac Simmiā ad uirtutem propositis ijsdem præmijs hortatur: quando eo statuto, necesse est, ut humanæ actiones tanquā ad finem extremum assequendum eò referantur. Nos autem ad reliqua pergamus.

Ac fermè tempus est, ut ad lauandum diuertam. Præstat eñ, ut puto, post lauacrū uenenū bibere, ne in lauando cadauere molestiā mulierib. præbeamus. Cum hæc dixisset Socrates, Crito sic inquit: Dic age, ô Socrates, quid nā his aut mihi mandas agendū, uel erga filios tuos, uel circa cætera? Quid ue agendo maximè tibi gratum fecerimus? Nihil equidem, inquit, noui præcipio, sed quod semper uobis prædico: uidelicet si uestri curam habebitis, & mihi & uobisipsis grata euadent quæcunque feceritis, etiā si nunc uerbis nō concedatis. At uerò si uosipsos neglexeritis, nolentes secundū ea quę nunc & superiori tēpore dicta sunt, quasi per uestigia uitam dirigere, nihil prorsus proficietis, etsi multa nobis nunc disputantibus cōcedatis. Ista quidem, ait Crito, curæ nobis erunt. Sed quemadmodū sepeliri te iubes? Vtcunq;, inquit, libet: si tamen me apprehendetis, ac nisi ego uos effugero. Et simul subridens, & ad nos conuersus: Non persuadeo, inquit, Critoni, me esse hunc Socratem qui nunc disputo, & singula dicta dispono. Sed opinatur me illud esse, quod paulo pòst uidebit cadauer. Itaq; interrogat, quemadmodū me sepeliat. Quod autē iam diu plurimis uerbis contendo, postquā uenenum bibero, haud ulterius apud uos me esse futurū, sed ad beatorū profecturū fœlicitates: hoc quidem mihi uideor frustra Critoni dixisse, consolans uos simul atq; meipsum. Fideiubete igit̃ pro me Critoni contraria quadam fideiussione, quàm ipse

pse iudicibus fideiussit. Ille enim me iudicio sistere, uos autem me non sistere cum obiero fideiubete, sed abiturum, ut Crito obitū facilius meū ferat: ne'ue meū corpus uel cremari cernens, uel sepeliri, me deploret quasi dira patientem. Neq; dicat in funere proponi Socratem, aut efferri, aut sub terram condi. Certum id habeto, optime Crito, quod maledictum est non solum in hoc ipso delinquere, uerumetiam animis nonnihil officere. At enim confidere oportet, atque dicere corpus sepeliri meum, atq; ita sepeliri, ut tibi placebit, maximeq; iustum esse censebis. His dictis surrexit, intrauitq; cubiculum quoddam quasi lauaturus. Crito autem sequutus est. Nos uerò expectare iussit. Expectabamus ergo, de his quæ dicta erant inter nos colloquentes, rursusq; considerantes. Præterea conquerebamur fortunam nostram, qui tanquam parente orbati, reliquū uitæ tempus orphani futuri essemus. Cum Socrates lotus esset, delati sunt ad eū pueri sui. Duos enim filios habebat paruulos, unum uerò iam grandem. Venerunt & mulieres domesticæ. Ad eas Socrates cum præsente Critone uerba fecisset, & quæ uolebat mandauisset, mulieres quidem & pueros abire iussit, ipse uerò ad nos redijt, iam circiter solis occasum: per multum enim temporis spacium intus fuerat commoratus. Cum uerò ad nos uenisset lotus, cōsedit. Nec multa post hæc locutus erat, cum uenit undecimuirorū lictor. Qui illi adstans, ô Socrates, inquit, non arbitror eam in te nouitatem me deprehensurum, quam deprehendere in cæteris soleo. Illi enim indignantur mihi atque execrantur, quando illis denuncio uenenum esse bibendum, ita magistratibus compellentibus. Te uerò cognoui, præsertim in hoc tempore, generosissimum, mansuetissimumq; & optimum uirum omnium qui unquam hunc in locū deuenerunt; & nunc equidem certò scio, te mihi haud infestum fore, sed illis penes quos rei huius causam esse cognoscis. Nunc ergo scis quē tibi nunciū afferam. Vale, atq; anitere, quæ necessaria sunt pro uiribus facilè ferre: & simul his dictis abibat lachrymans. Socrates autem in eum respiciens: Et tu, inquit, uale, & nos id faciemus. Simulq; ad nos conuersus, Quàm urbanus est homo hic, inquit. Neq; solū in hoc, sed in superiori etiam tempore me salutabat, colloquebaturq; nonnūquam, fuitq; semper uirorum optimus. Et nunc quàm ingenuè me deplorat? Sed age, ô Crito, illi pareamus, ac si iam tritum est uenenum, aliquis huc afferat: si nondum est tritum, conterat ille. At reor equidē, inquit Crito, ô Socrates, nōdum solem reliquisse montes, nec occidisse. Et noui alios, postquā id sibi nunciatū est, ualde serò bibere illud consueuisse, largiter cœnatos atque potos: interdū uerò etiam illorum potitos, quorum amore afficiebantur. Quamobrē ne adeò festines. adhuc enim superest tempus. Tum Socrates: Meritò, inquit, ô Crito, illi ista faciunt. Putant enim hæc facientes lucrari. Atq; ego meritò ista non faciam. Nihil enim me lucraturū spero, si paulò posterius uenenum bibero, nisi ut mihijpsi sim ridiculus tanquam uitæ cupidus, atque parcus eius rei seruator, cuius nihil iam amplius mihi adest. Sed age iam mihi obtempera, nec aliter facias. Crito uerò his auditis, annuit puero, qui longè nō aberat. Ille uerò egressus, & aliquantulum cōmoratus, redijt, eum qui uenenum daturus erat, secum ducens. attulit autem in calice id attritum. Hunc aspiciens Socrates: Cedo, inquit, bone uir, tu enim harum rerum peritiam habes, quid me facere oportet? Nihil, inquit, aliud, quàm post potionē deambulare, quoad grauari tibi sentias crura, postea uerò iacere: atque ita tu facies. Hæc dicens, porrexit calicē Socrati. Socrates uerò hilariter admodum

dum

dũ, ô Echecrates, accepit: nihil omnino commotus, neq; colore, neq; uultu mutato. Sed quemadmodum cõsueuerat, taurinè illum aspiciens, Quid ais, inquit? licet'ne ex hoc poculo nonnihil spargendo sacrificare? Tantum, inquit, ô Socrates, contriuimus, quantum satis fore putauimus. Intelligo, inquit. Sed & licet, et oportet orare deos, ut felix sit transmigratio nostra. Quod equidem obsecro, atq; utinam ita fiat. Et simul his dictis admouẽs, facilè admodũ alacriterq; ebibit. Pleriq; nostrûm eò usq; retinere quodammodo lachrymas potueramus. At postquam & bibentẽ uidimus, & bibisse, ulterius non potuimus: sed me quidem dolor adeò superabat, ut lachrymæ largiter iam mihi profluerent. Quapropter me protegẽs deplorabam, nõ illum quidem, sed fortunam meã, qui tali amico orbatus essem. Crito autem etiam prius, quũ lachrymas nequiret continere, surrexerat. Sed Apollodorus nec in superiori quidem tempore unquã lachrymare cessauerat. Tunc uerò pręcipuè uociferans, seq; ipsum afflictans, neminem reliquit præsentiũ, cuius uicem non deploraret, præter unius Socratis uicem. Ille uerò hæc animaduertens: Quid'nam, inquit, ô uiri mirabiles, agitis? Atqui ego maximè hanc ob causam mulieres abegeram, ne talia facerẽt. Audiueram enim, cum gratulatione & applausu esse ex hac uita migrandum. Quiescite igitur, atq; tolerate. Nos uerò hæc audiẽtes, erubuimus, destitimusq; à lachrymis. Sed ipse quũ inter deambulandum crura iam grauari sentiret, iacuit resupinus: sic enim, qui uenenũ præbuit, iusserat. Qui paulo pòst eum tangẽs, pedes & crura considerauit. Deinde grauius comprimẽs pedem eius, quæsiuit an sentiret? negauit Socrates. Ille rursus pressit tibias, paulatimq; manu ascendens, ostendit nobis frigere eas atque rigere. Et ipse attigit rursus, aitq;: quum ad cor peruenerit, tunc esse decessurum. Iam igitur friguerant ei præcordia, cum detegens (erat enim ueste coopertus) dixit, quę uox illi extrema fuit: O' Crito, Aesculapio gallũ debemus, quẽ reddite, neque negligatis. Fiet, inquit Crito, quod iubes. Sed uide nũ quid aliud uelis. Hæc interroganti, nihil ultra respondit. Sed cum paruo tempore interquieuisset, commotus est. Et minister detexit eum, atq; ipse lumina fixit. Quod quum Crito cerneret, ora oculosq; composuit. Hic finis fuit amici nostri, ô Echecrates, uiri nostro quidem iudicio, omnium quos experti sumus optimi, & apprimè sapientissimi atq; iustissimi.

Hactenus uniuersam de animi immortalitate sententiam Plato exposuit, propositisq; factorũ præmijs & pœnis, ad uitæ probitatem & mores, omnes adhortari cœpit: nũc in extrema hac Dialogi parte, ut in quodam Epilogo, ipsam historiam mortis Socraticæ sub Phædonis, & eiusdẽ qui reliqua narrauit, persona recẽset, quid ille uidelicet egerit, dixerit, & quomodo extinctus tandem ueneno fuerit. Quæ omnia quoniam facilia sunt, & aperta, solum illa quæ difficultatis aliquid habere uidentur, exponamus. E' quibus primum est, quod ait: Præstat enim, ut puto, post lauacrum uenenum bibere. *in quo causa huius rei quærenda est. Secundò illud:* Nihil equidem, inquit, noui præcipio. *Itaq; quod sit Socratis testamentũ dicatur. Porrò illud,* Vtcunq;, inquit, libet: si tamen me apprehendetis, ac nisi ego uos effugero. *quo in loco de mortis contemptu, sepulchriq; cura dicendum est.* Fideiubete igitur pro me Critoni, contraria quadam fideiussione, qua ipse iudicibus fideiussit. *quod ipsum quorsum dicatur, et quid sibi uelit, exponetur. postremò, cur ex poculo ueneni libare, & gallum Aesculapio sacrificari uoluerit. Quibus explicatis, nihil difficultatis restabit, ut arbitror, nisi ut exemplũ fortitudinis in Socrate, & charitatis ac diligentiæ in eius amicis & discipulis cernamus.*

In primis commodius esse ait, post lauacrum uenenũ bibere, eã ut mihi uidetur ob causam, quòd lotio corpus quodammodo laxet, ac partes eius constrictas aperiat. Quo fit, ut haustum uenenum, quod uim penetrandi habet, atq; omnem calorem

lorem natiuū uel frigiditate, uel calore suo nimio extinguendi, facilius serpat undiquaq;, quàm si compreßi corporis meatus sint. Atq; hæc quidem uis magis cicutæ inest, quòd eadem frigidißima sit, & eadem frigiditate cor attingens hominem conficiat. Sic uidemus eos qui magno labore, sudoreq; contracto, aquam frigidam largius bibāt, aut mori statim, aut in grauißimos morbos incidere: quoniam aqua eadem loco ueneni est. & ut calore hominis uita, nō frigiditate, quæ illi contraria est, sustentatur, si tanta huius uis sit, ut illam extinguat, profectò uita prorsus tolletur. Ergo mirū nō est, si Plato dixerit, Socratis corpus lotum esse, prius quàm hausisset cicutæ succū: cum nulla ratione citius cōfici, quàm hac potuit, præsertim homo migrādi ex hac uita cupidus, qui breui eius uincula abrūpere uellet, & hinc euolare. Quod facilè quidem fit, cum corpore laxato balneis, et excalfacto, cicuta sumatur, quæ partes eius omnes facilius sic penetret, usq; ad cor ipsum: quo refrigerato, ut ait Galenus, mors continuò sequitur. Atqui hac de re hæc satis, ne medicorū fines inuadam, si plura dixero. Iam uerò, cum Socrates inquit, **Nihil equidem noui præcipio**: nihil aliud significat, quàm quòd ipse se loco testamenti discipulis & amicis suis præcipere dicat idem, quod in hoc Dialogo antea præceperit: id est, ut ijdem sibi consulerent, curamq; uirtutis & uitæ suæ haberent, essentq; uerè philosophi, id est, corporearum rerum contemptores, animiq; excolendi studiosi. In hunc ergo finem referēdum ait totum sermonem superiorem, non ad inanem contemplationem, aut disputationes, quarū nulla sit utilitas. Animaduerte hic præclarum exemplum in Socratis morte, qui testamenti loco uirtutis curam suis commendat, putatq; disputationum finem actionem ipsam esse, quemadmodum & Aristot. lib. 1. Ethic. de fine moralis philosophiæ refert. Et cū hic dialogus eo in genere maximè uersetur, commodè sanè Socrates moriēs, suis ait se nihil aliud mandare, quàm ut neglectis quæstionibus inutilibus, totos se ad uitæ probitatem atq; uirtutem conuertant. Porrò quod idem ait de mortis contemptu, & sepulchri negligentia, in ijs uerbis, Vtcunq; libet, si tamen me apprehendetis: ex superioribus pendet. Nam cum & animos immortales esse docuerit, et mortem contemnendam, ne corporis illecebris nimium quis trahatur: Sepulchrum, inquit, non tantæ curæ habendum, quantæ habeat uulgus: ut si quis humatus non sit, errare eius manes insepultos & miseros putet: cum in sepulchro nihil aliud quàm reuerentia quædam, & signum amoris mortui exhibeatur ab amicis, et ijs qui in uita maneant superstites. Sepulchri uerò contemptum Socrates eleganti ironia, qua solet uti frequēter, ostendens: Si migrantem, inquit, me, id est, animum, qui uerus est homo, ex hac uita, & fugiētem corpus, tenere poßitis, sepelite me pro arbitrio uestro. Quasi dicat: Si ego ipse essem is qui manet in sepulchro, uestra esset humanitas, charitasq; in amicum, ut aliquo me honore sepeliretis: sed cū ego ipse, id est, animus hinc euolet, maneatq; in terris cadauer, quod animi fuit carcer potius, nihil est quod eius magnam curam geratis. Egregia uerò ratio, & ad mortis contemptum accommodata. Quid enim prodest tanta sepulchri cura, tanta inscriptionum, & epitaphiorum? quid magnificētia tumuli? aut Mausolea illa ingentia, & sumptuosißima? Huic sententiæ cōgruit illud Diogenis, dicentis discipulis, Nihil referre quo in loco sepeliretur eius cadauer, quando sentire ipse tunc nihil posset. & illud Theodori Stoici, ad tyrannum mortem ipsi minitantem: Theodoro nihil refert, utrum è cruce pendens, an humi putrescat. Præterea illud, **Fideiubete ergo pro me Critoni**: ad superiora confirmanda pertinet, ut doceat se non esse cadauer illud, quod post mortem remaneat, sed animum, eum qui inde euolarit. Vt autem hoc magis confirmet, persuadeatq; Critoni de sepultura sollicito: Fideiubete, inquit, pro me discipuli, & amici: id est, astipulamini sententiæ meæ, in qua assero me ab hoc corpore migrare (**contraria, inquit, fideiußione**) quoniam Crito, ut in Dialogo eius tituli est, & in uita Socratis, fideiussor esse uoluit apud iudices pro eodem Socrate, ut è carcere dimitteretur. Huc ergo alludens ille, Fideiubete, inquit, pro me Critoni, me ipsum hinc abiturum, & corporis hæc uincula relicturū: contrà atq; ille fideiubebat, me in carceres reuersurum, si iudices inde me aliquandiu abire paterentur. His expositis, illa omnia quæ à Phædone narrantur de morte Socratis, & ijs quæ in illa contigerint, esse facilia existimo, ideoq; prætermittantur. Restat illud explicandum, cur è poculo cicutæ libet Dijs idem Socrates: tum, cur gallum gallinaceum Aesculapio sacrificari iubeat. Libat quidem dijs manibus Socrates, fortasse ut curam morientis postremam esse debere doceat pietatis: quæ cùm omni tempore, tum in illo maximè necessaria sit. Quin & libatio illa sacrificij genus est, quo uti gētes olim erga Deos solebant: ut in lib. 4. Aeneidos Didone sibi

ne sibi mortem cōsciscere uolente, Vergil. ostendit. Itaq; Socrates moriens, dijs sacrificasse ex eadem cicuta dicitur, quam ipse hauriebat: tum ut in Deos pius esset, tum ut innocentiam suam ostenderet. Iam illud quoq; explicatione indiget, quod idem Aesculapio sacrificari gallum iubet. Nonnulli hoc superstitionis genus in Socrate multum uituperant, quòd cum Deos ille sustulerit, ut in ipsius accusatione ferebatur, gallum tamen Aesculapio sacrificari uellet: quorum è numero sunt Tertullianus in Apologetico, & lib. de Anima, itemq; Lactantius Firmianus, & alij: contrà uerò Platonici sub eo galli sacrificio, aliud serius ac præstantius intelligentes, quàm uerba significare uideantur, causam cur id factū sit, dicunt esse, quòd prisci gallum ueluti diei ac noctis nunciū Aesculapio Apollinis filio, id est, Beneficentiæ diuinæ morbos humanos curanti, sacrificare soliti sint. Nam Beneficētiam diuinæ prouidentiæ filiam esse putabant, cui dies, id est, uitæ lux debeatur. Quin etiam animas ijdem dicunt à corporibus solutas, & in cœlum remigrantes, pæana Phœbo canere, sicq; magna cum delectatione ab his terris euolare, ut in suo quoque pæane Socrates indicauit: quod idem ut faceret melius, deuotum Aesculapio gallum prius reddit. Atq; hanc ferè causam esse, cur gallum Aesculapio sacrificari iusserit, Platonici reddunt. Vtrum autem hoc ita intelligendum sit, ut ijdem uolunt, an ediuerso, ut uerba sonant, haud multis docere opus est, cum utraq; ratione Socrates gallum sacrificare potuerit: cumq;, ut innocentiā suam, in eo quod ei obijcebatur, ostenderet, id fecerit. Damnabatur enim is eo, quòd Deos & sacrificia ipsorum tollere diceretur: ut in eiusdem Apologia apud Platonem, & Xenophontem in libris de factis & dictis ipsius, patet. Vt autem falsum id esse, quod obijciebatur, ipse ostēderet, confirmaretq; suam sententiam, Aesculapio gallum moriens sacrificari iussit, ut erga Deos se pium et obsequentem esse sacrificijs ostenderet: quemadmodum in eadem Apologia apud Platonem idem confirmat, & apud Xenophontem, cū se ad aras et templa deorum uenire, ac sacrificare, nec aliud omnino à reliquorum hominum sententia sentire contendat. Atqui hæc sunt, quæ & in hoc loco explicanda, & in toto Platonis libro dicenda hactenus uidebantur. Verba ipsa, & si quæ alia omittuntur, facilia sunt intellectu.

COMMENTARII IN PHAEDONEM FINIS.

RERVM ET VERBORVM IN PLATONIS PHAEDONE, ET SEBASTIANI FOXIJ in eundem Commentarijs memorabilium *Index.*

con-

Moseos

T

V

FINIS.

ERRATA, OPERARVM INCVRIA
commissa, sic emendato:
Pag. 28. uers. 41. absurditas, si tunc, quando 52. 1. Socrates 67. 48. eodem 82. 23. descendendam 92. 49. explicabimus 109. 2. Socrates 128. 33. immortale

BASILEAE, EX OFFICINA IOANnis Oporini, Anno Salutis humanae M. D. LVI. Mense Martio.